

ERYCI PUTEANI  
EPISTOLARVM  
RELIQVIÆ

CENTVRIA V.  
& Postrema.

LOVANIÏ,  
EX OFFICINA FLAVIANA.

∞. 100. XII.

INGENIO ET LABORE

*Cum gratiâ et Privilegio.*





ILLVSTRISSIMO V.

H E R M A N N O

A B V R G V N D I A,

B A R O N I F A L L E S I O,

V E R O H E R O I

E R Y C I V S P V T E A N V S

*Dedicat Consecrâtque.*

**N**ON omnes fortassis quod facio, Illustrissime HEROS, pari iudicio excipient: ut non omnes pari mentis scintillâ accensum pectus habent. Sed facio, quod generosè possum; & te, velut instinctu quodam Numinis, inter ingenii mei Patronos munusculo isto scribo. EPISTOLARVM RELIQUIÆ sunt, re & argumento variæ, stilo & caractere Atticæ; &, nisi nomen obstet, reliquo etiam apparatu meliores. Cur tamen extollam? quia RELIQUIÆ, effugere vilitatem titulus non potuit, nisi illustri penitus tutelâ assurgeret: nec ego placere tot ingeniis curiosè occupatis, nisi inclytum aliquod in hoc limine nomen legeretur. Tuum igitur debuit: tuum, id est, singulate: tuum, quod à BVRGVNDIACIS acceptum

(:.) 2

Prin-

Principibus, Majoribus tuis, quia Aeternitate stipatur, magnum te indicat; sed quia tu geris, magnum ipse facis. Non omnes profectò sola Fortuna, aut fors nascendi æquat: multum hîc ingenium, amplius Virtus agit. Cælum quoties intueor, stellarum quosdam velut gradus distinguo; quoties universam mundi hanc machinam, concludi & librari à cælo terram, & maximo tamen discrimine atque intervallo dissidere: sic & mortales quosdam Natura, nunc mater, nunc noverca, plerosque aut industria, aut ignavia separat, alios cæli, ut sic dicam, filios, alios terræ. Ergo Cælum terræ quantum præstat! & homo quantum homini! Hoc sanè in aliis alii, in te Belgæ potuimus discere, aut certè Virtutis, Doctrinæ, Nobilitatis splendorem ignorare, quo refulges, cælique imaginem repræsentas. Etenim tria potissimum mala seculi cujusque solent felicitatem obducere: Vitium, Ruditas, Vilitas: à quibus & nupera rebus ingeniisque Belgicis calamitas venit; cum non parum Fortunæ placeret, si quis lucentem familiæ ignem otiosis saltem penetralibus abscondisset. Sic quia miseriarum quâdam illuvie generosam animorum æmœnitatem Bellona obruebat, morum passim fæces, sordes, limum invexit: imò quò faciliùs miseri essemus, mali, rudes, ignobiles facti sumus. Neglecta Virtus, in suo

regno



regno servitutem invenerat : proculcata Do-  
ctrina, non poterat nisi cum malâ Fortunâ ha-  
bitare : denique ignorata Nobilitas, & ingenti  
temporum umbrâ septa, vix extra squalo-  
rem erat. Sed nostrâ, & alienâ culpâ splendor  
ille Majorum alibi labefactatus est. Noctem  
Belgis fata seculi dederant; nubes ipsi adjeci-  
mus. Bene tamen est : benigna vis cæli ex par-  
te vicit injuriam : astra ostendit. Vidimus, vel-  
ut è procelloso mari, & profundâ caligine,  
fulgentem Perseum & Andromedam, id est  
Optimos Serenissimósque PRINCIPES no-  
stros : vidimus Cynosuram & Helicen, id est  
Pietatem & Clementiam PRINCIPVM : vi-  
dimus inter alia deinde lumina, te quoque Il-  
lustrissime HEROS, tergemino quodam radio  
emicantem, Virtutis, Doctrinæ, Nobilitatis.  
De hac primùm brevitérque dico, & illis te  
maximè comparo, qui te nobis, seculo, po-  
steris dederunt, à fonte & origine maximi, à  
stirpe & radice inclyti. Sed fontem petere, re-  
motum est; radicem scrutari, longum est : vel-  
ut per rivum illabar in hunc amnem ; in pro-  
ximâ quasi lineâ & ramo genus tuum arbitra-  
bor. PHILIPPVM BONVM Burgundiæ Du-  
cem, Belgarumque Principem nemo ignorat :  
Proavo IOANNE Galliarum Rege, Avo PHI-  
LIPPO Audace, Patre IOANNE Intrepido na-  
tus, ipsâ appellatione in Virtutum omnium  
exem-

exemplum venit. Hic filium **BALDVINVM**, Illustriſſimi animi Heroëm, Proavum tibi dedit, Africanâ expeditione, cui à patre fuerat præfectus: mox bellis à **CAROLO AVDACE**, fratre gestis, nobilem. Accessit & conjux regiae stirpis, **MARGARITA**, **IOANNIS EMANVELIS Belmontii Toparchæ** filia, quæ & maritum & nuptias, nisi inclytas invenisset, illustrare poterat; nisi opulentas, ditare. Sic verò **BALDVINVM** evehere **FERDINANDVS V.** Hispaniarum Rex voluit: quasi gloriosius etiam **PHILIPPO AVSTRIO MAXIMILIANI** Imperatoris Filio Filiam jungeret, si Avunculum ejus magnum iisdem sceptris miscuisset. Tu Illustrissime **HEROS** stemma tuum nosce, & exsurge. **FERDINANDVS III.** Rex Castellæ & Legionis, rebus etiam præclare gestis magnus, è **BEATRICE** conjuge, quam alii Imperatoris, alii Brabantiae Ducis filiam faciunt, sex liberos tulit: **ALFONSVM**, **FREDERICVM**, **EMANVELEM**, **PHILIPPVM**, **SANCTIVM**, & **HENRICVM**. Ex his **EMANVEL** rectâ & legitimâ serie stirpem tibi fecit: **IOANNEM EMANVELBM** Ducem Panafielis genuit: ille **HENRICVM EMANVELEM** Comitem Lintræ: is **FERDINANDVM EMANVELEM**: hic **IOANNEM MARGARITÆ** Patrem. Magni isti omnes, & Regno digni fuere: qui nec in sequiori sexu defecerunt. Avus tuus, Pater, Tu secuti, pari &



ri & succedaneâ majestate animi , atque familia splendore : nisi quòd in te tamen hæc Fortuna , sive Naturæ dona Sapientiæ quoq; studium vehementiùs commendavit. Nunc igitur ut tales fuisse Majores tuos credamus , & Virtus & Doctrina tua faciunt , quibus inter Belgas resplendes. Ut perfectissimam Virtutem possideres , Doctrinæ thesauris instruxisti pectus ; & ut scires omnia , faceres optima , unicam vitæ normam Virtutem habuisti. Hinc , quod rarissimum est , in te videmus : cælum sine nube , ignem sine fumo , lucem sine umbrâ. Sequuntur & hanc felicitatem animi mores suavissimi , sermo cultus , ridentes Gratia , oris corporisque conformatio Heroica , cum dignitate venusta , cum majestate blanda. Ut paucis dicam ; in ipso illo vultu tuo Nobilitas relucet , & quicquid Majores fuere ; relucet Virtus , & quicquid tibi uni debes ; relucet Doctrina , & quicquid industria magnitudini adjecit. Omitto Generositatem animi & simul Modestiam , Prudentiam & Candorem , Solertiam & Fidem , Fortitudinem & Humanitatem : quas omnes aliasque partim Nobilitatis , partim Virtutis , partim Doctrinæ comites habes , neque jactas. Ut pedissequæ aliorum siderum quædam stellæ sunt , quas curiosior & vitro adjuta acies detegit : ita non omnia Heroicæ mentis ornamenta in omnium statim

timoculos incurrunt, sed quæsitæ & observa-  
ta. Ad summam igitur, ut intelligeres, quis ipse  
esses, negotium tibi cum Musis & Sapientiâ  
fuit; & ut esses, quantum dare Majores potuê-  
re, spretâ ignaviæ dulcedine, & voluptatis il-  
lecebrâ, Herculis Prodicii semitam, à primis  
statim annis ingressus es & calcasti. Quid am-  
pliùs? te tibi, te stirpi, te seculo gratulor: &  
nunc ornare Doctrinam tuam, Virtutem, No-  
bilitatem munusculo isto audeo, quod & in-  
genii mei facilitas, & stili familiaritas fecit: vi-  
le quidem, si magnitudinem tuam respicis;  
non vile, si quæ ipse ingenio stiloque agis;  
utroque non facilis tantùm, sed felix; non fa-  
miliaris tantùm, sed accuratus. Quia de hu-  
manitate tuâ dubitare non possum, quocum-  
que signo explicare affectum meum volui, &  
Musarum in te munia venerari. Istis ut Auctor  
placeat, librum hunc admittes; ut liber pla-  
ceat, Auctorem amabis. Lovanii, vii. Kal.  
Maii. ∞. 166. xii.

INDEX



# INDEX RELIQVIARVM.

## A.

**A**LBERTO Struzzio, V.N. & Amico Epist. xliij.  
 Alexandro Trzebinski, Petro Ozga, Io. Bapt. Goubartio F. & Thoma Mianowdicz, Contubernibus suis, xcviij.  
 Aloyfio Vereycken, Audientiaro, viij.  
 Andrea Ertenio V. Amico, Medicinae Doctori, xcviij.  
 Andrea Schotto, V. C. Soc. Iesu, lvij.  
 Andrea Valerio, lxxxviij.  
 Antonio Olgiato, Biblioth. Ambrosiana Praefecto, xxxv.  
 Arnolfo Baert V. A. in supremâ Belgica Curia Senatori, xlviij.  
 Auberto Miræo, Canonico & Bibliothecario Antuerp. lxxxvj.  
 Augustino Galaminio, Cardinali, cxxviij.

## C.

Carolo Duci Croyaco & Archotano, liij.  
 Carolo Malinaeo, V. A. Aerarii Brabantici Praefidi, xvij, xxxviij, xliij, lvj, lxxij.  
 Carolo Torrio, l.  
 Conrado Vander-Heggen, V. A. Illustrissimis Iulia Cliviaeq; Principibus à-Consiliis, lxxv.  
 Cornelio Bredæ suo, vj, xxxix.  
 Cornelio Lumineo Marcano suo, xj, xcij.  
 Cornelio VVytflietio, V. C. & Curia Brabantica Graphiario, lxxxij, C.

## D.

Danieli Heinsio V. C. ix, xxi, lv.

## F.

Francisco Bartholino, Amico suavissimo, xix.  
 Francisco Ibarra, Serenissimo Prin-

mo Principi à-Cubiculis,  
xxxiiij.  
Francisco Kinschotio V. C.  
Finantiarum Graphiario,  
xxxiiij, xl v, lx viij.  
Francisco Sweertio F. xxxviiij,  
xc.  
Frederico & Alexandro Casi-  
muro Sapiebis, F F. Pala-  
timidis VVitebcensibus, lx.  
Frederico Cardinali Borro-  
maeo, Archiepiscopo Medio-  
lanensi, x, xciiij.  
Frederico Marselario suo,  
lxxviiij.

### G.

Georgio Austrio, Præposito  
Lo vaniensi, & Academia  
Cancellario, xcj,  
Gerardo Arnemiensi, Societ.  
Iesu, Præceptoris suo,  
lxxx.  
Guido Benti volio, Nuncio  
Apostolico, & Archiepi-  
scopo Rhodiensi, lxix.  
Guilhelmo Verdugio, Fran-  
cisci F. à-Consiliis Bellicis,  
lxxxj.

### H.

Henrico Puteano, Cognato suo,

è Magistratu Venlomiano,  
liij.

HERMANNO A BVRGVN-  
DIA, Baroni Fallefo,  
lxxviiij.

### I.

Iacobo Robertio suo, liiiij,  
lxxxiiij.  
Iano Rutgerfo, xxviiij.  
Iano Scheppero suo, xx.  
Ioanni Baptista Goubadio,  
xlj.  
Ioanni Baptista Sacco, V. C.  
Senatu Mediolanensi à-Se-  
cretis, ij, xxvij, xxxviiij,  
xlvj, lxx, lxxxviiij, xcix.  
Ioanni Havrao, Toparchæ  
De VValle, lxiiij.  
Ioanni Puteano, Fratri suo,  
xxxij.  
Ioanni Vaseo V. R. & Amico,  
lxxiiij.  
Ioanni VVouerio V. C. & A-  
mico, xxv. lxj, lxxxv.  
Iusto Muldero suo, xl.  
Iudeni Amico Anonymo, iiiij.

### L.

Leonardo De Tassis, S. Im-  
perii Libero Baroni, xxvj.  
Ludovico Septalio, V. C. Me-  
dico



dico & Patricio Mediolanensi, v.

M.

Maximiliano Plouvierio V.N.

& Amico, xij, xxij, xlviij, lxiiij, lxxiiij, lxxxvj.

Melchiori Daelhemio, Scholæ Augustinianæ Præfecto, xviiij, xxxiiij, lxxxiiij.

N.

Nicolao Burgundio suo, xliiiij.

Nicolao & Christophoro Sappiebis, FF. Palatinidis VVitebcensibus, xxxj.

Nicolao Damantio, V. A. Brabantia Cancellario, lix.

Nicolao Montmorencio, Comiti Stegriensi, &c. Finantiarum II. Viro, lxxix.

O.

Othoni Hartio, V. A. in supremâ Curia Senatori, lxxxviiij.

P.

Paizio Archiatro, xxx. Petro Boschio, V. A. Cancel-

lario Geldria, xcviij. Petro Castellio, V. Amico, G. L. Professori Publico, vij, lxxij.

Petro Enriquezio Gusmano, Comiti Fontano, xvj.

Petro Rosæo Iurisconsulto, iij, xlix.

Petro VVadingo, Societ. Iesu, Sodalitatis Directori, xciv.

Philippo Pratio, V. A. Consilio Sanctiori à-Secretis, lxviij.

R.

Raphaëli Montorfano suo, xiiij, lxvj, lxxxv, xcvi.

Remaclo Robertio, V. N. & Annona Militaris Præfecto, i, xv.

Rhetoribus Collegii Augustiniani Bruxell. li.

S.

Saxoni Finia, Viro Amico, lxxj.

Seçtatori suo, xiv. Senatui Bononiensi, lviiij.

V.

Vitaliano Vicecomiti Borromeo, xxiiij.

IN  
E. PVTEANI V.C.  
EPISTOLARVM  
RELIQUIAS.

**M**VSÆ PVTEANE Sol Palæstræ,  
Pura dulcisonæ medulla Suadæ,  
Quàm velim Dapibus tuis fruisi!  
Illis, queis Medioxumi Infimique  
Divi præ Ambrosiâ frui laborent.  
O parvi fierem gregis pusilla  
Pars, qui purpurei decora Veris  
Dona murmure bombilante carpit!  
Non me jurgia, non acerba duri  
Regis dicta; neque hæc neque illa mensæ  
Monstra vel digitum movere quirent,  
Ni tui sapidi favi, tuæ inquam  
Mentem RELIQUIÆ meam replessent.  
Sed hæc optio nonne luculenta est?  
Nonne ambitiosa? sed profectò  
Frustra. Namque aliis parata Cœna est,  
Formosis, lepidis, tenellulisque,  
Blandis, molliculis Diis, Deabus.  
Quàm velim dapibus tuis fruisi!

A. F.

---

Paucissima sunt quæ Lectionem impediunt. Scribendum  
verò Pag. 5. lin. 24. *fulcire*. Pag. 98. lin. 8. *Sophocleoque*.  
Pag. 117. *Platinam*. Pag. 116. lin. 21, in quibusdam exem-  
plaribus, *quidem*.

ERYCI



ERYCI PVTEANI I  
EPISTOLARVM  
RELIQVIÆ.

EPISTOLA I. *Bruxellam.*

REMACLO ROBERTIO, V. N.



ENIRE jam cupio, Vir Amice,  
& vel apud te esse, ut honestissimâ  
hilaritate tuâ dolorem meum le-  
niam. Amisi enim Parentem o-  
ptimum: unum illum, ad quem re-  
flectere cogitationes poteram. Et  
amisi eo tempore, quo maximè  
fulcrum illud res & rationes familiæ requirebant. Ego  
ad molestias jam vocabor, ut debita, ut crediti inspi-  
ciam, & totam hereditatem primus liberorum com-  
ponam. Liberi quoque è secundis nuptiis sunt, & su-  
perstes noverca: quæ, ut ego non querar, nunquam  
olim tã bona fuit, quin malam sapientes vocaverint.  
È maternis bonis, quorû hæctenus penes patrem usus  
fructus fuit, aliquid peculio meo accedet: sed hac por-  
tione vel redimere mihi a luitã parentè velim. Quan-  
tum ei debeo? Primû me genuit, educavit honestè, in  
litteris aluit; imò ut magis affectû suum promeret, lin-  
guæ Latinæ principiis & præceptis puerum domi im-  
buit, & negotiis suis tãtum detraxit, quantum addere  
filio potuit, ut verû affectum testaretur. Sic nec loqui,  
nec scribere possum, nisi ut parentem cogitem. Dolor  
verò inter istas cogitationes obrepit, & dulci quadam  
A pietate

pietate fovetur. Scio hominem fuisse, id est obnoxium communi legi : scio patrem fuisse, & naturæ quodam ordine filio præcessisse. Sed eadem ista ad infirmitatem animum reducunt. Nam hominem lugere, humanum est : parentem, pium est : sic & humanitate, & pietate morbum meum excuso. Sed ut dixi, veniam; & te videbo, uti convalescam. Die Solis aut Lunæ adero. De curru nolo te molestias fumere, hîc sumam. Vale. Lovanii, III. Non. Februarii. ∞ .Ioc. XI.

EPISTOLA II. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTÆ SACCO, V.C.

*Senatui à-Secretis.*

**S**VAVEM aliquam petis Epistolam ? hanc mitto ;  
 Set si panè præter nomen nihil est, quòd mittam.  
 Nomen ipsum Epistolam faciet, & pro affectu scriptio erit, compendio quodam verborum adstricta. Non multum, qui amat, loquitur, sed suaviter ; & collecto in paucissimas voces pectore, mellitum aliquem sensum concinnat. Ego Amo, ego colo SACCVM meum, ideoque imitor : & quia imitor, sacro oris verecundi silentio utrumque velim, quàm strepitu testari. Quorsum delicia ? Amor cultusque suavitatem à naturâ suâ habent, & adscititium omne verborum condimentum facile spernunt. Gratia ipsa nudæ sunt, & tota illa familia Amoris. Itaque solus affectus DVLCCEM satis hanc epistolam reddit, ne novum nectar adjungam : imò edulcare epistolam videar, si adjungam. Bonus in amicum affectus mero Amore dulcis est, id est, suo igni calidus est, & calore suo dulcis : cùm, ut Aristoteles



stoteles in problematis ait, τὸ γλεῦκος θερμὸν. Sic igitur qui  
 subjecto verborum calore animum imbuat, ut accen-  
 dat, eundem obfuscat. Dulcia enim minùs dulcia,  
 cùm calida, quàm cùm refrigerata; nisi me ejusdem  
 Philosophi Quæstio fallit: διὰ τί τὰ γλυκέα ἤτιον δοκεῖ γλυκέα  
 εἶναι θερμὰ ὄντα, ἢ ὅταν ψυχρὰ; Non excutiam Naturæ hoc se-  
 cretum (Clarissimi SEPTALII Provinciam novi: ) sed à  
 bono AFFECTU audebo eloquii illas flammulas arcere.  
 Ac sanè superioribus meis epistolis nonne verbosus sa-  
 tis? AMATAM mihi, BLANDAM, CANDIDAMQ. supellectili  
 quadam muliebri & mundo pariter instructas. Lo-  
 quuntur nunc etiam, & responsum flagitant, ne semel  
 molestæ sint. Hæc DVLCICVLA est, & superiorem om-  
 nem nauseam extinguet. Vale & vive dulciter. Lovan-  
 nii. XIII. Kal Septiles, ∞. Ioc. VII.

EPISTOLA III. *Bruxellam.*PETRO ROSÆO, *Iurisconsulto.*

**N**VPER epistolam tuam accepi, & in brevi tabellâ  
 geminam imaginem libavi, Amoris & Erudi-  
 tionis. Ille prolixus est, & qualem pauci pro-  
 munt, candidâ benignitate relucens. Hæc etiam me  
 tacente loquitur, & in tetrico illo foro vultum illiba-  
 tum servat. Junxisti olim severioribus in Academiâ  
 studiis contemptam plerisque Philologiam; & nunc  
 quoque, inter quotidianas litigantium sordes irâsque,  
 unus, aut cum paucis, has amœnitates sectaris. Facis,  
 ut qui Litteras negligunt, summum te Iurisconsultum  
 fateantur: qui colunt, maximis Reipub. muneribus  
 destinant. Exsurge aliquando, & clarissimo exemplo

publicum studiorum morbum corrige ; ut lætam puramque Astrææ faciem intueamur. Ego hîc attollere mœstas Iovis filias conatus sum , & conor ; atque in PALÆSTRA BONÆ MENTIS Iuventutem exerceo. Nosti opinor, institutum. Aut fallor, aut mox erunt, qui ore & stilo Eloquentiæ litabunt. Athletæ omnes in Ordinarios & Honorarios divisi sunt : illi præsentés , & in incude adhuc versantur ; hi, ut nomen indicat , ætate, dignitate, doctrinâ, proVectiores, & tanquam fulcra, imò ornamenta aliorum. Vide, quid agam : rogare te quoque audeo, ut dare nomē velis, & inter Honorarios censerî. Insignes aliquot viri jam numerum hunc auxerunt ; inter quos & MARCANVS noster , clarus ille Musarum Charitumque mysta. Onus nullum, nisi ut scitum Symbolumque Palæstræ dones, & perenne hîc quoque nomen tuum velis. Siquid etiam ex intervallo scripleris miserisque , in lucrum putabimus : nostrarum certè rerum omnium particeps continuò eris. Non diffiteor ; ingenium tuum ambio , virtutes æstimo : nisi faciam, aut stolidus, aut malignus sim. ADERBA meus ex Italiâ rediit , & nunc in unâ tecum urbe agit. Si me amas , hunc amabis : dignum profectò intimâ consuetudine tuâ invenies. Iuvenis est acris ingenii , amussitati iudicii , solidæ elegantiæ. *Quod rarissimum est , amat Bonam Mentem.* Omnia dixi : & ut obtineam omnia, tu me ama ; nam in toto hoc meo amicitiarum censu velut aurum affectum tuum habeo. Vale mi ROSÆE , elegantiarum delicia , & COMVM longè jam auctiorem, pænè alium, exspecta. Lovanii, Propriæ anni ∞. loc. XI.

SESTIGIO tuo , defæcati iudicii Viro , hîc ex intervallo fruor. Salutem ab eodem addo.

EPI.



## EPISTOLA IV.

*Romam.*

IUVENI AMICO ANONYMO.

**C**OMPONE animum, & quiesce, mi Amice. hic præcipuus studiorum fructus est, sorti se aptare. Quid verbis velitaris, aut in rumusculos laboriosâ ingenii fiduciâ pugnas? siquid ætatis ac necessitatis vitio commissum, facilius apud te corriges, quam apud alios excusabis. Bonum te volo candidumque; ut medium ostendere unguem hostibus tuis possis. Ut bonus sis, hoc primum dispice, an malus fueris. Sed si fueris, desisti, si agnoscis; & calumniæ simul audaciam omnem frangis. Sanè aliquid in moribus tuis nuper erat, quod reprehendi poterat: ego reprehendi. sed quo affectu, nunc judica. Redeunti ad Bonam Mentem conciliare Fortunam, quantum in me fuit, conatus sum, & adhuc conor. Confide igitur, & missis rixarum pipulis, dignum te conditione novâ præsta, & bonorum votis. Illa jam parata & addicta est: tu cis paucos dies adsciscendus. Vale. Lovanii, Kal. Maii. ∞. Ioc. IX.

## EPISTOLA V.

*Mediolanum.*

LUDOVICO SEPTALIO, V.C.

*Medico & Patricio.*

**D**E silentio silentium esto: fulcere amicitiam nostram non cogitationis tantum tibicinibus fas puto, sed etiam scriptionis.

*Χάριν δὲ γράσκασαν ἐχθαίρω φίλων.*

A 3

*Ipsam*

Ipsam autem ἀπροσηγορίαν senium quoddam sanctissimis Affectuum sacris adferre, præclarus ille morum Doctor testatus est. Ex Amore etiam iram nasci, animumque accendere, novum non est. Si prævalet amor, ignis igni accessit, & ardere incipiunt qui dilexerunt: sin ira, actum est; pelluntur hospites Gratia; lis, contentio, feritas succedunt, & malorum causa. Euripides bene:

Δεινὴ τις ὄργη καὶ δυσίατος πέλει  
Ὅταν φίλοι φίλοισι συμβαίῳς ἔριν.

Tuam igitur nunc humanitatem veneror; cum irasci poteras, amare maluisti: nec ego vim amoris tui deprehendere poteram, nisi inimicum esse non posse perpexissem. Sed ut dixi, de silentio silentium esto. Suavissima prothymia Sacramentum renovo: & Candorem professus, in arbitrium tuum venio, Amorisque ditionem. Etenim nisi maximis tuis beneficiis deberem, deberem virtutibus, doctrina, fama; deberem laboribus, quos felicissime per tot annos publicis rei Litterariae commodis impendisti, & impendis. De modo autem docendi meus ille ad me scripserat; talem esse, qualem ipse laudaveram, doctum, disertum, Græcâ & Latinâ elegantiam varium: quo mehercle si plures hodie uterentur, posset vel ad invidiam posterorum seculum nostrum efflorescere. Felices illos, quibus te audire contigit! atque hoc unum studiis meis deesse mecum ipse quotidie deploro. Somnium tibi meum placuisse equidem gaudeo. Fratris tui vulnus, Viri Optimi & immortalitate digni, tenerrimo affectu planxi. Vale. VIII. Kalendas Majas, ∞. IOC. IX.

Quid scribis, quid doceas, scire cupio, & quæ frequentia CANOBIANAS Musas æstimet.

EPI-



## EPISTOLA VI.

*Venetias.*CORNELIO A BREDA *suo* S. D.

**S**TIMVLVM jam redditum esse opinor : cujus & tu quoque pars es. Sed an tantum ego juris sumere debui ? Placuit profectò Fabella tua : tu omnibus qui Fabellam perlegerunt. Sed quid ? etiam nunc Fortuna tibi irata est ; Italiam, & tuum tibi Principem invidet. Extra nubem vis loquar ? A Matre in Belgium revocaris. Fluctuas ? imperium est , & à Necessitate. Graves anni optimam matronam onerant : & his nunc morbus accessit pertinacior. ut res patrimonii extra damnum habeantur , præsentia tuâ opus. Quid hoc negotii sit , vide : deesse Matri non potes , nisi ut tibi desis. Et ego tamen invitus hoc ipsum scribo , quia morem gerere pietati non potes , nisi ut inde recedas , ubi libenter te esse scio. Quid agas ? Res sic humanæ sunt : & ut venti stationem mutant , sic Fortuna ludit. Matrem videre suave tibi erit : amarum , ab ipso votorum cursu abstrahi. Si redire statuisti , suadeo , priùs Romam proficiscare , & vel obiter saltem Iustres Urbem , cujus alioquin nunquam desiderium concoquas. Vale mi Amice , & Patrono tuo cultum obsequiumque meum nuncia. Lovanii , Kal Quint. ∞. Id. x.

EPISTOLA VII. *Lovanium.*PETRO CASTELLIO , V. *Amico,**G. L. Professori Publico.*

**H**UMANITER scribendi officium implesti , mi CASTELLI , & cum affectu , quem candor ipse tibi dictat. Sed ego negligenter jam calamo utor ,  
nego-

negotio, quod nosti, impeditus. sic mora est, ubi pompam quisque aut querit aut ostentat. Ergo inter homines nunc ago: vota multorum ad me quoque traho, & cū insanientibus furo. Quid agas? magnis subsidiis literæ nostræ vindicandæ sunt, ne infra pecuniam jaceant. Quid egerim verò, & quo fructu itineris molestiam subii, imò quò absim (hoc enim itinere ipso gravius) coram exponam. Metam quidem vide; sed curro etiam in hoc circo, pulveremque colligo. Ut igitur abitum meum, & jam absentiam leniter feras, rogo. MAXIMILIANVM meum bona Hygeia jam respexerit. Voveo; & te quoque, Amicosque nostros salvos lætosque esse. DE FLAVIO addis: sed quid agam? Manus cœu ligatas habeo, & vix respiro, ut quod volo, faciam. Ergo si me amas, excusa. Et ne nihil agant, qui sine damno non otiantur, litigent: imò ut hoc possint, compotent. Reditum promitto, nec tamen suavissimæ conjugis meæ indico. Torquere cupidam brevi adhuc morâ malo, quàm promisso fallere. IO. BAPTISTA GOVBAVIVS cõtubernalis meus ordinare jam libellos & studia sua incipiat: cetera ego agam, ubi rediero, ut Musis placeat, & ex voto optimi Parentis vivat. Saluto suaviter SCHOLIERIVM, FLAVIVM, Palæstram quoque. Addo Reverendum, & exactæ Eloquentiæ Patrem WADINGVM. Vale. Bruxellæ, A. D. Eiduum Octob. ∞. 1606. XI.

EPISTOLA VIII. *Bruxellam.*

V. A. ALOYSIO VEREYCKEN, *Audientiaro.*

QVOD & meum munus, & publica ingeniorum utilitas suadebat, moliri cœpi. PALÆSTRAM, inquam, BONÆ MENTIS: in quâ Eloquentiæ simul



mul & Sapientiæ studiis juventus imbueretur. Scripsi Leges, quas subicere prudentiæ tuæ debui: conscripsi Palæstritas, in quorum & ille numero venit, quem ut maximè amares, honestissimis artibus consecrafti. Reliquum est, ut institutum istud meum probes, promoveasque; in quo hoc tantum ago, ut plures Principe Patriaque suâ digni evadant; digni parentibus, à quibus aluntur. Quia verò sine præmio, sive honoris aliquo insigni, excitari ingenia discipulorum difficulter possunt; per Amplissimum Thesaurarium ROBIANVM Litteras, & Numisma aureum à Principe petii. Litteras, quibus PALÆSTRA ista confirmaretur; & favorem speraret, si quis ex eadem cum Testimonio prodiiisset. Numisma verò, quod Arbiter muneris sui velut insignie gereret. Petitionem meam honestissimam esse, res ipsa clamat; quam ut juves, te per Patriæ commoda, & familiæ tuæ pignora rogo. Vale Amplissime Vir. Lovanii, Postrid. Kal. April. ∞. Loc. x.

EPISTOLA IX. *Lugdunum Bat.*

V. C. DANIELI HEINSIO,

*Orbis Delicio.*

**S**ICCINE utrumque nostrum consentit astrum, ut in adversissimis quoque pares simus? Quod fecisti, feci, & meo parenti exsequias ivi, post longum tandem morbum & sævissimos cruciatus extincto. Itaque tuum ut dolorem credam, meus facit; & ut meum feram, tuus facit. Sic faciliùs læsi de alieno judicamus vulnere; & negligere incipimus, quicquid soli non toleramus. Sed hæc conditio mortalium est, Mori. Ipsa necessitas monere nos debet, ut quantum

B

in

in leges humanæ naturæ Stoicorum peccat *ἀπαρτία*, tantò constantiores vulgo simus. Viri est, post primas lacrymas exferere vultum, nec doloris voluptate decipi. Satis luxit, qui affectum suum ostendit; nimium, qui ostentavit. Solet hæc ambitio infelicibus adhære, & ut tristitiam commendent, pulchram videri volunt. Sic non satis miseri, nisi & stulti sint. Non proscribo dolorem, sed tempero; ut lacrymas indulgeam, ploratum tollo. Graviorem mehercle casum facimus, si ferre non possumus. Tu te erige, & natum cogita, ut post parentem viveres: morbum cogita, quo liberari non potuit, nisi ut non esset, qui multum jam vixerat. Hæc quidem, mi HEINSE, ita leges, tanquam mihi præcipiam. Nam quicquid scribis, passus sum. & in tuâ Epistolâ calamitatem meam vidi. Ergo quod mihi debui, amico, imò fratri dixi: sed ad me quoque redit, quicquid dixi. Tuum dolorem meum puto; & qui meum parètem mœstissimus extuli, tuum lugeo. Tristis ero, quamdiu te sciero. Vale.

## EPISTOLA X.

FREDERICO CARDINALI BORROMEO,  
*Archiepiscopo Mediolanensi.*

**B**ENIGNITATEM tuam pro affectu veneror, quæ in me absentem quoque effunditur: nec cuiusquam tamen aut favore, aut studio provocatur. Prævertisti amicorum meorum vota, vicisti omne meritum meum: & ut tuus etiam essem, qui longinquus sum, confers honorem, quem petere sine ambitionis notâ non poteram. Insigniter equidem actum mecum existimo: tessera data est, quâ TVVM me profitear. Ergo  
hoc



hoc in primis gestio, apprimere ori pectorique signum, in quo auri splendorem admirabilis quædam & plusquam humana benevolentia superat. Signum, inquam, quod hîc quoque divinas tuas virtutes loquatur. Veniat, veniat: ac sine vitio jam desidero & expecto, quod mereri non possum, nisi æstimem, nec æstimare, nisi desiderem. Vnum nunc rogo, ut consecrari ingenii mei operam Bibliothecæ patiaris; & siquid dignum Famâ condam, Ambrosiano lucem auspicio videat. Vale Illustrissime & Reverendissime Mæccenas. Lovanii, Postrid. Kal. April. ∞. Ioc. x.

EPISTOLA XI. *Gandarum.*

CORNELIO LVMINEO A MARCA SVO.

**R**EDISSE te cum Hygeiâ in gratiam lætor. Ac sanè boni omnes solliciti in hoc periculo tuo erant. Hem! de me sic nonnulli censent? Rumorem sparsum tu quidem me auctore corriges: evocatus non sum. Ivit in Hispaniam MATTHÆVS SANDERIVS meus, ante paucos dies, & illi comes, SCHEPPERVS. Ab his originem (nisi fallor) hæc fama traxit. Carmen tuum sic placuit profectò, ut nihil melius in toto libello meo sit. & hoc subitum tibi! felix es, mi MARCANE: ac sanè experiri audebo, quid cum accuratone scribas. Novam COMI editionem paramus: an ludere quidpiam lubet? HEINSII, doctissimi sine comparatione hominis in omni genere Litterarum; HEINSII, inquam, Musa etiam in hoc limine conspicietur. CAECITATIS CONSOLATIONEM hîc simul habes; quam mittere etiam priùs debui. Sed quid est? Sic negligentia interdum pecco. De SCLOPO nescio quid paullo post submis-

furus sum. Arma, inquires, in hac quiete? ita, sed Studioforum, qui bellare in Athenæo nostro cœperant. Ergo SCLOPVS PALLADIS erit, & jam ab Auditoribus meis editur. Ita ludimus, suavissime amice, & docendi labores amœnitate aliquâ distinguimus. Clarissimum VRIENTIVM nomine meo salutabis: quod ego pectus sic amo, ut complecti velim. Vale, & me æternùm dilige. Lovanii. VIII. Kal. Decemb. ∞. JOC. IX.

EPISTOLA XII. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVVIERIO, V. N. & A.

**A**D frugem redire incipio, & scribo. quo argumento? nullo. Ama hanc industriam; & mirare, fluere ex hoc calamo verba, rerum vacuo. Tamen si dignam chartâ lætitiâ nostram censes, heri apud WESENBECIVM habuimus epulum: suaviter fuimus. Tuum quoque nomen grandem & Herculeam pateram circumduxit. Sed Cereris nolo sacra vulgare, nolo Bacchi. scire utrumque poteris nomen, si placaveris. nam iratum habes, quia non venisti. an & nos? habes: feroces sumus, ac nisi benignus ille liquor animos emolliat, nescio quid molimur. Suaviter huc vehi poteras: ventum & imbrem, sed solem quoque effeda arcent. Iam lenior & madens injuriâ aëris terra minùs resistit rotis, minùsque axes subsiliunt. Confusæ luto orbitæ æqualem canthis ignaviam imperant. Possint & gravidæ, ac delicatæ puellæ vehi. Quam igitur excusationem promissis? judex Strategus noster erit. Ego ne silentium acerbiore pœnâ luam, quicquid protuleris admittam. Etiam in studiis hilaris sum: BELLARIA pono; & in his tuum nomen. Desino, &  
nunc



nunc mendacium meum abrumpo, ne industriam minuiam. Etenim postquam negavi argumentum, feci. Vale, & redde vicem: sume calamum, & vel nega te scribere, uti scribas. Lovanii, à lectione publicâ quâ incalueram. iv. Eid. Novemb. ∞. lccc. xi.

EPISTOLA XIII. *Mediolanum.*

RAPHAELI MONTORFANO *suo.*

**Q**UID audio? homines aliquos esse, qui ex insidiis me calumniæ spiculo petunt? ne cruciemur. Displicere malis, hoc verò virtutis signum est. Malos autem cense, qui lædere volunt, & latere. Iamque pudere eos sceleris sui, cuius nominari auctores non audent. Parum profectò in Sapientiæ proficissem studiis, nisi maledicorum improbitatem possem contemnere. Latratum aliquem puta; quo si impediri suave, digni simus, qui vel mordeamur. Sed quicumque illi sunt, à moribus meis abstineant, innocentix consecratis: in eruditione aliquid reprehendi patiar. Non jactamus ingenium; colimus. Hoc qui ferre non potest, invidus, indoctus, malignus est. Hactenus mehercule nemini regnum suum eripui. Promovere Litteras conatus sum, & simul morbos quosdam litterarum tollere. Bene est: non sine hostibus conatus boni se expediunt: & postquam alibi esse desierunt qui læderent, exurgere ecce apud vos debuere, à quibus oppugnarer. Nimirum alcedonia nulla Litteræ habent, quas æterni turbines inquietant. Ergo vel in ipsâ tempestate navigabimus: ac tum demum Bonam Mentem deseremus, cùm vitam. Tibi tamè, mi MONTORFANE, gratiam dico; qui ne delibari quidem famam

meam finis. Ostendis enim quanti verum amicum facias: dico, ANTONIO BLAGVAZZONO, qui præclaro epigrammate livoris spicula elifit, &

----- *posticæ occurere sanne*

voluit: dico reliquis amicis, quibus Puteanus curæ est. Ad Illustrissimum VITALIANVM VICECOMITEM BORROMÆVM Litteras hîc habes: trade, & officii pondus adde. Lovanii. iv. Eid. Septemb. ∞. 100. x.

## EPISTOLA XIV.

SECTATORI *suo.*

**L**VCVRATIVNCVLAM tuam accepi & percurri. Quid dicam? non omnino malam. In partibus est, quod reprehensioni obnoxium sit: sed

----- *non ego paucis Offendar maculis.*

Conatum enim hunc esse scio, quo placere Perillustri Patrono tuo studuisti. De stilo autem publicè sententiam meam expressi, & asserui; nec est, quòd novum aut decumanum umbratici Tribuni furorem pertimescam. πολλοί, morem aut morbū nosti, τὴν ἑρμηνείαν ἀγνοῦσι, πρὸς δὲ τὴν ἀδελφείαν ἀποβλέπασσι. Sanè ab ipsis Eloquentiæ incunabulis, de Copiâ & Brevitate quæstio fuit, Principum Oratorum dissidio nobilis, apud Græcos Latinósq̄ue. Ut ipse Poëtarum Parnassus

διόρυφος,

----- *Mons Phæbo Bromiόque sacer:*

ita duo Eloquentiæ culmina sunt, Brevitas & Vbertas. Sed utrique non virtus tantum, sed vitium quoque adhæret; cum quæ breviter dicuntur, sterilitate exarescunt; quæ copiosè, lasciviâ diffluunt. Omne tamen melioris Suadæ auspiciū ab ubertate sumitur: nec poterit cum virtute brevis esse, qui copiosus aliquando non fuerit. Indulge nascenti crescenti que, ut sic dicam

oratio-



orationi libertatem. Teneræ adhuc frondes falcem & vulnus reformidant : ac videndum , ne , dum accidas , mutiles. Ciceronis præceptum est : *Efferat se in adolescente fecunditas.* Omnino efferat se , maturiori mox iudicio coercenda. hoc enim opus ; ne , dum superflua rejicimus , in maciem incidamus. Quæ nova vetera appellas , sic usurpanda , ne in Antiquitatem ipsam pecces. Eminentes illæ extraneam Litteræ , sequioris ævi sunt : sequioris animi , qui æstimat. Deinde , veterem interpunctionem cum nostrâ confundere , vanam affectatiunculam habet : in aliis , magis que seriis eruditio ponenda est. Ad argumentum quod attinet ; non egisse causam Laconismi videris , sed deseruisse ; nisi tamen & hoc brevitatis esse putes. Vale , & docentis *καθηγηταῦ* ama. Lovanii. xv. Kal. April. ∞. Ioc ix.

EPISTOLA XV. *Bruxellam.*

REMACLO ROBERTIO V. N. & Amico,  
*Annosæ Militaris Provisori.*

**A**NTE dies aliquot novum Diplomatis exemplar misi : an datum ? velim equidem ; sed ita tamen , ut sine molestiâ hæc cura sit. Nunc ecce *DISERTATIONEM DE INDUCIIS* habes : & rogo , ut lectam mox Amplissimo Præsidi *RICHARDOTO* tradas. Ad ipsum scripsi nuperrimè , ac promisi ; imò capita quædam argumenti delibanda præmisi. Quid si tamen ille *MEVS* prius inspiciat ? si tanti orationem putabis. Nam Vir ille mihi magnus est , & cui magna quoque debeo. Scripsi deinde nescio quem libellum *Stoici* commatis , velut *Paradoxum* , & quod apud *Cimmerios* laudem inveniat. *DE CAECITATE* enim est. Quid inquires,  
in

in mentem tibi venit ? Hoc ipsum quod venire in oculos nolim. Laudavi quod vel maximè fugiam : & tamen erit fortè (audaciùs dixero) qui cæcus esse velit, si legat ; aut certè (legere modò cæcus possit) qui esse non detrectet, si factus sit. Libellus ad amicum mittendus est, virum egregium ; sed qui luminibus nuper orbatus est. Ego videre tamen pergam, ut consolari cæcos possim ; & scribere, ne cæcutiam. Possset etiam de Surditate simile quid contexi ; atque de ἀφωβία, sive de eo qui mutus est : nisi tamen nefas putes, de eo loqui qui ipse non loquitur ; aut qui non exaudiat, si loquar. Tu Vale, Vide, Audi, Loquere : atque hoc ultimum etiam epistolâ facies. Lovanii. Prid. Kal. Iunias, ∞. Ioc. ix.

## EPISTOLA XVI.

PETRO ENRIQVESIO GVSMAÑO,  
Comiti FONTANO.

**Q**VAM difficili tempore Excellentiam tuam aderam, non ignoro : & tamen animi quodam ardore impulsus, panè in verecundus esse cogor, ne filiam, cum maximè occupari divinum illud ingenium tuum possit. Quod Mars nequivit, morbus tentavit, turbare & affligere : & cum Fortunam superasses, imperium suum Natura ostendit. Hominem te esse severior valetudo testari voluit : Heròem esse ipsa virtus. Hoc factum est, ut magis te jam amemus, & veneremur, de cuius salute solliciti fuimus. Nam profectò sine multorum calamitate, imò sine sæculi dolore, periclitari non poteras : ego verò in illo ipso metu, ingemiscebam rebus publicis, & spes simul Italiæ lugebam.



bam. Sed ostendit Deus, regimine tuo, id est, maximarum Virtutum præsidio, carere adhuc Insubres non posse: me respexit quoque, qui felix esse non possum, nisi tu Optime, Fortissimèque Princeps, in rebus humanis superstes sis. Vive igitur, seculi nostri noctem pelle, & divinus audire in terris ama, Hercules ama; ne nova rerum monstra subpullulent. Ego quod Regi meo, quod seculo, & posteritati debeo, aggressus sum; & stili operâ nectere corollam aliquam cœpi, quam Æternitatis tuæ aræ appendam. Iterum voveo, vive, vale, ut utrumque ego possim. Deus Optime Maxime, audi, exaudi preces meas; & da vires, ut tantas in Optimo Principe virtutes aliquâ ratione exprimam. Lovanii, Prid. Kal. Quint. ∞. lœc. x.

## EPISTOLA XVII.

CAROLO MALINÆO, V. A.

*Aerarii Principum in Brabantia Præsidi.*

**D**ISSERTATIONEM, quam promisi, hîc habes. Putabam unâ PALLADIS SCLOPVM, id est, Declamatiunculas duas transmittere, quæ ab Auditoribus meis eduntur; sed moram Typographus trahit. Altera mea est; & genus hoc armorum, tamquam indignum Litterarum studiosis, proscribo: altera Auditoris & Contubernalis mei, qui reducit ac dilaudat. In eloquentiæ gratiam hæc fiunt, & ut ingeniorum nescio quis languor dissipetur. Plenum fructum à PALÆSTRA meâ spero, nisi remoræ interveniant. AVRELIUS pergit, & grandire incipit gradum. Heri epistolam misit, quam vidi, & notavi obiter, ut corrigeret.

C

Si

Si quotidie, aut sæpe fiat, mehercle per ludum stilius subigatur. Et quid impedit, quò minùs fiat? Impera. Cœptum nuper negotium seriò tibi commēdo. Quis rerum & Religionis sit status, vides: vicinia ardet; ignis serpit: arcere incendium poterit hoc illud sacrae eloquentiæ flumen. Scripseram de re totâ ad HERMAN-  
 NVM Comitem BERGÆVM: is Litteras meas in Gel-  
 driam misit: inde ad Serenissimum PRINCIPEM relatae  
 sunt, qui Consilio Sanctiori tradidit. Fac, siquid po-  
 tes, & bene de me, de Patriâ meâ, & Religione mere-  
 re. Vale Amplissime Vir, & me ama. Lovanii, VII.  
 Eid. Novemb. ∞. Ioc. IX.

Orationem PRINCIPIS dandam curæ tibi esse cupio.

EPISTOLA XVIII. *Bruxellam.*

R. P. MELCHIORI DAELHEMIO,  
*Scholæ Augustinianae Praefecto.*

**E**PISTOLAM tuam cum libello nudiustertius acce-  
 pi, & profectò gavisus sum, tam pronum ac pro-  
 pensum videre animum, tuum ac tuorum. Non  
 agnosco laudes quas tribuitis; nisi tamen hanc referre  
 gratiam mihi Iuventus velit, nuper laudata. Talem  
 curâ & institutione vos facitis: id est, verum *Encomium*  
 quod expressi. *Anagrammata* verò trivium non sapiunt.  
 inventio singularis est, elocutio facilis, florida, amœ-  
 na: & laudo in Rhetoricæ castris Pegaseium hoc me-  
 los. Quàm utile, dividere scriptionis munia, nunc  
 metri vinclis lascivientem stili ubertatem coërcere,  
 nunc sine impedimento effusum præcipitare spiritum,  
 & sine freno loqui! Ut expeditus jucundusque post  
 com-



compedes incessus est: ita post carminis necessitatem  
 Prosa libertas. Rectè igitur variato labore ingenia  
 exercentur, ut qui scribit, geminâ oratione facundus  
 fit;

----- *Pierio defundens pectore verba.*

Vos facitis, & quàm feliciter, Discipuli ostendunt.  
 Gratulor Patriæ, gratulor Litteris, quæ è vestris scho-  
 lis robur accipient: te præsertim Præfecto. Esse perge,  
 & me amare, Reverende & doctissime PATER, qui se-  
 riò seriò conatibus tuis faveo, & applaudo. Professo-  
 res V. Viros ex animo saluto. Lovanii, VII. Eid. Martij,  
 1660. Loc. IX.

## EPISTOLA XIX. *Bononiam.*

FRANCISCO BARTHOLINO,  
*Amico suavissimo.*

**A**CCEPI Litteras tuas: volo quod vis, ut verbo di-  
 cam, venire. Quid ni? Boni omnes invitant, &  
 proluxa illa Amplissimi Senatus humanitas tra-  
 hit; quem sic in me pronum fuisse, agnoscere non pos-  
 sum, nisi veniam. Accedit & Illustrissimi Cardinalis  
 LEGATI calculus, velut è Favoris & Amoris urnâ. sed  
 à quo conciliatus? tuum, & Reverendissimi TRITO-  
 NI affectum agnosco. De stipendio nolo quicquam  
 ampliùs controversiæ sit: nec dapnabilem ego laboribus  
 meis mercedem statuo. Nummis illis Aureis sexcentis  
 utar (Scutatos appellant,) & maximum putabo præ-  
 mium, BONONIÆ docere; maximam felicitatem, tibi,  
 & Clarissimo PERSIO adesse. Nam, ô Deus! in quâ  
 Vrbe! quibus amicis! Sed nunc parco; ipso pectore  
 laudes gratèque coràm effusus. Quod reliquum est,

C 2

tuo

tuo remigio tuoque arbitrio geri volo : imò sollempni formulâ cupio , sive mando , ut de re totâ , sive cum Amplissimo Senatu , sive cum V. Viris Præfectis agas transigâsque. Ante omnia moram amolire. Resignandum hîc docendi munus , & abeundi potestas à Principe Ordinibûsque petenda. Id autem fiet, ubi Decretum ab Amplissimo Senatu accepero. Statim vocari velim , ut in re certâ consilia capiam ; ad iter paullatim me componam , libros transmittam , ipse cum familiâ sequar. Molestiæ & viæ plusculum est ; & addo, impensâ. Itaque de viatico, sive evectione , non omittes: consuetudo sic exigit, imò & mea existimatio. Clarissimum SACCVM non temere ego laudavi. Vir egregius est , & amore tuo dignus ; tu illius. Sed ô musteam tuam atatem ! agmen ipse eorum ducis quos laudas ; & ingenio, judicióq; eluces in tam multis. Quòd si Litteræ tuæ tales, sine curâ scriptæ ; quid ipse CVRÆ? Videbo igitur, & veram imaginem tui complectar atque venerabor. Nomina prensantium libenter legi ; imò novi plerosque : & sic magis Amplissimo Senatui debeo, qui neglectis edecumatæ eruditionis viris, me potissimum elegit & vocavit , Professoriâ istâ infulâ ornandum. Vin' dicam? vereor ut sine onere hoc beneficium sit , imò ut sine periculo ; ne dum provinciam alicui præripiam , invidiam accendam plurium, quorundam etiam in me virus irriter. Nolim equidem : modestiam & quietem amo : luctari & collidi non sine damno mentis aut vulnere licet. Ego in theatro illo Sapientiæ & Eloquentiæ ita versabor ; primum ut amicis, deinde ut inimicis quoque placeam : summum honorem in profectu juventutis positurus. Litteræ tuæ tutò Mediolanum mittentur : atque inde

sine



sine periculo aut morâ accipiam. Vale Amicissime  
Vir, & annon brevi vidende? Voveo. Lovanii. v. Kal.  
April. ∞. Ioc. VIII.

EPISTOLA XX. *Madridum.*IANO SCHEPPERO *suo.*

**S**VSPENSVM me tenuit & iter, & simul silentium tu-  
sum, mi SCHEPPERE: & nonne meritò angebar? Be-  
ne est; pervenisti: & mox valebis quoque meliùs,  
ubi primas hasce nubeculas dispuleris Hygeiæ relu-  
ctantis. Nova omnia in novo solo homini accidunt.  
Fit etiam, ut insolentiâ & injuriâ aliquâ aëris alieni  
contracta domi & collecta corporis vitia expurgemus.  
Vitæ rerumque auspicia, quæ narras, bona sunt: pla-  
cere stude, ut emergas. Momento quidem fieri hoc ip-  
sum non potest: quicquid crevit & stetit, moram sus-  
tinuit. Quid ais verò? COMVM in ipsâ jam Hispaniâ  
Belgicum esse? Ego addere etiam quædam cœpi, quæ  
mittam: ut pariter Patriam indicent, ubi non intelli-  
guntur. Vidit nuper in laudatione Iuventutis Elegi-  
am tuam FRANCISCVS KINSCHOTIVS, Vir elegantis in-  
genii, exacti iudicii: vidit, inquam, & admiratus est,  
& te unum censuit, qui conferri in hoc genere debe-  
as cum Antiquis. Gaudeo mehercle, cum amici sic  
judicant, amorem meum confirmari. Quæ in scriniis  
meis latitant, confusa & indigesta admodum sunt: ac  
frustra, ita ex animo dico, mittam: impedimentum,  
non auxilium putes; nec impedire ingenii felicita-  
tem velis, nescio quibus lituris. Tu si DE RATIONE il-  
lud opus moliris, quid ultrâ cupis? hoc age, & effice;

ut quæ meliora vulgo sunt, meliores saltem legant. In Sicherniensi itinere nostro quàm suaviter quædam aliquando delibavimus ! Nunc etiam juvare velim, & operam, ingenium, imò lectionem jungere. Aliud etiam argumentum cupis scriptiois ? Colligi, & explicari Oracula omnia Antiqua possint, quorum passim Scriptores meminerunt, Græci Latinique. Mihi id facere in mentem aliquando venit : sed facem tibi trado. De Inscriptiunculâ aliquâ Bibliothecæ Velascianæ præfigendâ cogitabo, ac proximè quicquid concepero mittam. PETRVS CASTELLIVS docere in Collegio Trilingui Græcas Litteras feliciter cœpit. Amo juvenem & insignem eruditionem ejus, ingeniumque. De stipendio verò nihil adhuc certi. HOLLANTIUM nostrum res novæ aliò transtulerunt : Serenissimo LEOPOLDO, Archiduci Austriæ, à-Consiliis est ; & ad Summum Pontificem missus Legatus, Romæ nunc agit. Hanc occasionem arripui ; virum celebravi, FACVLAM DISTINCTIONVM cōscripsi, & eidem dedicavi. A DERBA adhuc Venetiis apud Legatum, & *De horâ vestendi* libellum publicavit. Hoc ego ingenium singulariter æstimo. Juvenis est qui ad meum gustum sapit ; & quo amico securè possum uti. Satiram tuam, lepidissimam censeo. Absolve, & mitte quantum quantum potes. SANDERIO ex animo bene volo. Vxori, Matri, filix ego & uxor mea multam salutem dicimus. Tu vale. Lovanii, x. Kal. Majas, ∞. JOC. x. Litteræ tuæ Duacum curatæ sunt. Testimonium ingenio, doctrinæ, & probitati tuæ debitum hîc adjungo.

Vos



VOS ROGO,  
VIRI in Ecclesiâ, in Republicâ MAGNI:  
Operam date, & Legite.

**V**ERBIS fidem meam non adumbrabo, aut involvam. Nuda, pura, simplex esse debet; sine colore omni & arte. Animo igitur, non ore hîc loquor: & sic pondus habeant, que judicio, non affectu promò. Ad vultum provoco: videte quem commendo, ut mereri censeatis. audite etiam (cum Socrate dicam) quem videtis, ut novisse detur. IANVS SCHEPPERVS est, Vir Republicæ, Sacerdos Ecclesiæ utilis; siquis Princeps, siquis Antistes operâ ejus utetur. Et quanto cum damno tam præclarum ingenium in occulto jaceat! ego produco: vos attollite qui potestis, fulcrum vobis paraturi, quo niti res magnæ quandoque possint. Nec in sanguine vilitas ulla, aut naevus: sic natus est, ut jactare majores queat, & familiæ Lumina. Ad Virtutem verò, & doctrinam, indole suâ ivit: facere nomen maluit, quàm invenire. Brevisiter; quicquid laudem apud Bonos meretur, hic invenietis: admirandas naturæ dotes; Modestiæ, Industriæ, Candoris insignia; morum veneres, gratiâsque; vitæ inculpata exemplar. Adde, humaniorum Litterarum, Philosophiæ, Theologiæ notitiam, & maturitatem. Vos igitur excipite hunc virum; juvate, promovete, consilio, auxilio. Ut gratiam expectetis, estimare poterit quicquid facietis. Sic spondeo, & te nunc dimitto, mi SCHEPPERE, mi anime, ut Magnos Viros, & Maximum Regem videas; & quid à Fortunâ impetrare virtus doctrinâque possint, experiaris.

E. P.

EPI-

EPISTOLA XXI. *Lugdunum Bat.*

DANIELI HEINSIO, V.C.

*Elegantiarum Præfidi.*

**I**AM scripseram, miserámque Litteras : & ecce tuæ cum fasciculo adferuntur; in quibus, cùm hoc agis, ut recuses laudes, quas virtute & doctrinâ longè superas, amorem meum magis accendis. Eia mi amice, ignorare divinas ingenii tui dotes non debes; quas vel ab hostibus potes discere. Invidia confitetur, quicquid candor noster expressit : & hoc virtutis signum est, quibusdam displicere. Sed quemadmodum bonorum facinorum conscientia nemini unquam gravis fuit : sic sine probro ad encomium amicus exurgit. Virtutem doctrinámque cùm laudo, timere adversarios non possum : & parum profectò amare videar, si timeam. Tu ille es (patere ut dicam) qui extinguere invidiam potes, aut certè superare : & incurrere ego paratus sum, ut intelligant viri boni doctique, nihil officere candori meo posse. Quid etiam dixi ? quod jure tibi omnes tribuunt, nec ulli tamen detrahunt. Siquis obstrepet (unus aut alter fortassis erit,) ego ad doctissima tua scripta provoco : & pro his pugnare etiam audebo. Ecce à Viris Principibus, ab ipso Cardinali BORROMEO æstimaris : cui si innotescant tantùm, qui famæ tuæ non student, maximam gloriam putent. Sed de his satis. Vberrimum illum studiorum tuorum fructum, quem promittis, expectabimus. Dissertatio vehementer placuit: ac sanè sumere istos spiritus potuisti. Hoc semel statue, aurum merū esse, quicquid è doctissimo illo pectore calamoque tuo emanat. A P E T R O

CAS-



CASTELLIO salutem reddo : item à BVRGVNDIO meo. Clarissimum CORSELIVM interea non vidi. Vale mi Frater, & amicum nostrum BA VDIVM saluta. Lovanii, v. Non. Quinct. ∞. Ioc. x.

EPISTOLA XXII. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVVIERIO, V. N. & A.

**V**ENTVRVM te jam opinor. An vana conjectura est? non scribis. Ac sanè videtur ipsa aura invitare. Fac, quod Amor dicat, & negotia permittunt: & permittent, si dictaverit ille, quod rogavi. Quid si die Saturni? Omnino; ut in PALÆSTRA Differentes illos meos audias. Thema proposui: *Melius per se, an per Duces bellum Princeps gerat?* Exempla, sed & rationes cogunt dubitare. Meam tamen si sententiam roges, summum rerum Caput in castra quoque producant: pugnae, & cum opus, periculo miscebo. Princeps est, & ut administret, talis. administrari autem Belli pariter & Pacis negotia debent. Ergo sagum quoque induat: non ad quietem, sed ad pericula natum se existimet. Bellum gerat ipse, quoties aut propugnanda Patria, aut Hostes oppugnandi: aut ne regat quidem. Præsentia Principis certio rem victoriam facit: & gaudet miles in conspectu ejus strenuè agere, à quo præmium exspectat. Quid subditi? sequuntur Regem suum, parati impendere sanguinem, cui imperium detulerunt: certi perire, nisi eum servent, qui pugnare quoque audeat. Et quàm prompti omnes facilesque, cum imperat & ducit qui summus est! Non frustra Comicus:

*Vbi summus imperator non adest ad exercitum,*

*Facilius quod non factum est usus fit, quàm quod factum est opus.*

Diduci hæc possunt: sed summam vides. Tu siquid habes, prome; imò veni, ut in PALÆSTRA quoque audiaris. Quàm hoc velim! hac igitur conditione veni, & Salve.

EPISTOLA XXIII. *Mediolanum.*

VITALIANO VICECOMITI BORROMÆO.

QUAM Urbem, & quam felicitatem reliquerim, intelligere nunc primùm incipio, postquam rarissimas maturi ingenii tui dotes noscere. Virum te, an juvenem dicam, qui sic scribis, imò sapias? an utrumque? Florem certè fructumque ætatis simul video; Ver, & Autumnum. Quantùm familiam, ipsam quoque Patriam tuam ornas, & illustras: in quâ si plures VITALIANI, prisca quædam seculi majestas resurgat, & dignitas. Sed quid plures nomino, cùm instar omnium unus tu, & velut Iuventutis Phoenix? Lucente Sole stellas in cælo nemo querit: tuum illud jubar reliquas tot ingeniorum faces obfuscat, & studiorum quendam diem reducit. Sic verò cùm ante annos aliquot Mediolani agerem, & Musarum sacra explicarem, luctari cum tenebris coactus sum. Nondum, Illustrissime juvenum, mihi illuxeras: nondum dignæ magnâ stirpe Litteræ videbantur. Etenim ad vana, imò noxia quædam juventutis mores conversi, Bonæ Mentis cultum negligebant. Sed & conatus mei continuis velut nubibus intercepti, languescere facili dolore poterant. Nunc prorsus è morbo ingenia Civitas reduxit, quantùmque possint, tuo potissimum



tissimum exemplo commōstravit. Ergo felicem video Urbis statum, in quâ coluntur optimæ Artes: felicès verò Artes, quæ attollere tuo se præsidio possunt. Sic profectò oportuit, uti scribis, primò veram in animo nobilitatem ponere: assumere deinde ornamenta, quibus ille resplendeat. Nam nisi boni sumus, frustra divites, & bene nati; nisi culti & facundi, frustra ingeniosi, garrulique. Iam ad Sapientiam ipsæ quoq; Litteræ necessariae sunt, Musarumque deliciae: nec sine mysterio Veteres illi Mercurii atque Palladis imagine coalescere Hermathenam voluerunt. Nescio verò, quæ infania seculi ad Quæstionum subtilissimam vanitatem Philosophantium indolem detrudat. Quasi expleri fontibus ardor sciendi non possit, rivulos, & aquarum anfractus sectamur: hoc agimus, ut sapiendo insipientes simus; ut quæ usum maximè in Philosophiâ habent, negligamus. Quis ipsum Aristotelis ingenium scrutatur, & doctrinam investigat? quis Antiquos illos Interpretes adhibet, plenos omnis eruditionis viros, Alexandrum, Themistium, Simplicium, alios? qui omnes aut malè Philosophiam tractarunt, aut nos hodie pudere barbariei nostræ debet. Sed nolo ista persequi: tibi meliorem scientiæ rationem placuisse, vehementer gaudeo. Tantum enim profecisse videris, ut qualis in bonarum artium studiis fuisti, esse in Ecclesiâ, atque etiam Repub. possis; id est, quæ optima, & maxima sunt, præstare. Nos hîc in quiete nunc vivimus, & longissimi belli incommoda paullatim instauramus. Vicini Principes quid facturi, adhuc incertum. à Brandeburgico quidem tota Iulia occupata. Deus res Germaniæ componat, te perennare faciat!

Lovanii, Postrid. Eid. Ianuarii. ∞. loc. xi.

EPISTOLA XXIV. *Bruxellam.*

FRANCISCO KINSCHOTIO, V.C.  
*Finantiarum Graphiario, S.D.*

**A**MOR ipse calamum mihi movet, quoties ad te scribo. & tum maximè cupio præfens esse, cùm in imagine tantùm sermonis cogor loqui. Mutum enim hoc totum est, quod nigellæ istæ Cadmi filiaë garrunt. Amo verba, quæ ipsa voce animantur: quæ fluunt potiùs, quàm pinguntur; & cum affectu ipso calent. Enimvero frigida omnis scriptio est, quia motu destituta: videre simul cupio quem compello; non linguâ tantùm, sed oculis quoque loqui, & digitis. Quando igitur, & quæ mox occasio id otiosè dabit? Feriæ instant: otium non putabo, nisi te complectar. Quòd si interea voti compos PALÆSTRA fiat: non sterile argumentum affatus inveniet. Nunc spem foveamus etiam, & blanditiis quibusdam Iuventutem ducimus, quò sine face & viatico pervenire non potest. Fax, Numisma est, quod petimus; viaticum, Diploma, & siquid à Viris honestis auxilii accedet. Sed tu perfectò nobis & Facem istam accendis, & Viaticum depromis, qui tam strenuè & amicè Petitionem Palæstræ curas. Schematismum mensis Quinctilis jam paramus. ipse Arbiter in procinctu, ut doceat. Ita enim constitutum est, ut ipsis quoque feriis è scholâ publicâ silentium PALÆSTRA expellat: & saltem Latinitas, sive Historia loquatur, cùm omnes tacent. Id verò ab Academiæ Rectore etiam obtinui, qui totum Institutum approbavit. Docebit igitur Arbiter, cùm ego cesso; aut si quem tali munere dignum judicaro. Litteras ad-



adjungo, quæ ROSAEVM tangunt. A FRANCISCO BERNARDINO PORRO, Viro Nobili, & Jurisconsulto Mediolanensi sunt: quem nunc quoque Amicum experior. Tu Vir Optime & Clarissime, remittes Epistolam, ubi ostenderis, & me amabis. Lovanii, IX. Kal. Quint. ∞. Ioc. x. Amplissimum Thesaurarium ROBIANVM, meliorum Litterarum insignem Patronum veneror.

EPISTOLA XXV. *Antuerpiam.*

IOANNI WOVERIO, V. C. &amp; Amico S.

**I**N æstu hîc sumus, & calemus largiter, mi WOVERIO; sed, quod mireris, bonæ interim Artes, melior-  
q; animi cultus friget. Ego benigno Comitum FONTANI jussu Lovanium cogito; imò mente jam adsum,

----- &amp; videor pios

*Errare per lucos, amœnæ**Quos & aquæ subeunt & auræ.*

Sed videor. ipsa limina Patriæ quando tangam? & oculis, manibus, pedibusque usurpabo, quantum cogito? Adspiro equidem, & coràm suaves illos sermones serere, Amoris & Musæ. Vota modò ducantur ad exitum; tecum ero, & tu mecum: Antuerpiæ ero, & tu Lovanii; ut delicias Naturæ, in amœnissimo locorum regustes. Certè ex intervallo

*Ille te mecum locus, & beatæ**Postulant arces.*

Sed quando erit? Moram, pœnam dico, & sentio. nec enim adhuc vocatus sum, aut Litteræ ad FONTANVM missæ. Exspecto igitur, ut, siquid erit certi, me adcingam, ut Larem transferam, & Belgis me reddā. Men-

sis September itineri opportunus erit. In antecessum spatio opus rebus componendis, ut à Senatu dimittar, & stipendiorum solutio procuretur. Scripsi nunc ad ipsum Præsidem RICHARDOTVM, & Senatorem ASSONVILLIVM; etsi inclinatos. tu quoque novas suggere facies, quas purus ille Amoris ignis facilè accendet. Litteras tuas flagito, mi WOVERI; & communes Amicos ex animo saluto. Sed ultimus ille libellus meus quæ ad tuum gustum? hoc adde, & amare perge. Mediolani, iv. Kal. Quintilis. ∞. lxx. vi.

EPISTOLA XXVI. *Bruxellam.*

LEONARDO DE TASSIS,  
S. Imperii Libero Baroni.

**E**GREGIAM tuam, maximisque natam rebus indolem in Litteris ad me nuper missis notavi. Tuâ sponte cursum capeffis, quò dirigere Laudatione meâ volui. Addis ingenio industriam, animum virtuti aptas, & in istâ prætextâ Virum nobis promittis, qui Reipubl. Christianæ utilis sit; sibi, aliisque bonus. Quid ampliùs dicam? Perges, & vota superabis nostra, qui ingenium istud tuum nonnisi ad maxima destinamus. Habes in penetralibus canum prudentiæ & virtutis exemplum: hoc ut cogites te hortor, &

----- *Semper ut te digna sequare.*

Quâ sententiâ finio: sed non, amare; non, curare. Amor etiam curam habet: & amare ego te cœpi, ut curarem. Ergo quicquid possum, volens lubens studiis tuis devoveo. CAECITATIS CONSOLATIONEM, quam per hos dies scripsi, adjungo: leges, & æmulatione aliquâ



aliquâ oculorum elogium compones. Sic assumpto argumento exercendus est stilus: & ego gaudebo Cæcitatem à te reprehendi. Per illustri Avo tuo officiosissimè cultû defero. Salutem addo Directori tuo, quem à moribus elegantia, & eruditione æstimo, & ingenio tuo gratulor. Vale. Lovanii, v. Kal. Sept. ∞. 100. IX.

EPISTOLA XXVII. *Mediolanum.*

IO. BAPT. SACCO, V. C.

*Senatui à-Secretis.*

**N**ON sine cruciatu meo intermittere scribendi humanitatem potes. etiam honestus Amor has Delicias habet, ut legere velit quem videre non potest. Itaque molestus ero, ut affectum ostendam: urgebo litteras, in quibus vel solum tuum nomen pondus habeat, stilus pretium, Doctrina majestatem. Sic enim scribis continuo, ut cum brevis videri possis, multa complectaris; & ut familiare officium, ipsam inquam Epistolam, impetu quodam fufam, insignibus prudentiæ gemmis illustres. Hoc agis quoque, ut inter elegantias ubique Amor ipse spiret. Scio impedimenta sæpe esse, nec ab unâ remora calamum sisti, aliàs pronum promptumque. Quid igitur? hoc scribe: *Iam non vacat; negotia sunt; in Curia occupor.* etiam hæ voces Epistolam facient; & affectum, quem in primis æstimo, explicabunt. Ego quidem si non semper, quàm sæpissime tamen scribo: etsi urgere isto te exemplo nolim, ne usurpare formulam Iurisperitorum videar: *Do, ut Des.* Quemadmodum affectum, sic & Litteras tibi debeo, etiam silenti: tu quoties scribis,  
novum

novum veteribus beneficium adjungis. Vides igitur quid cupiam ; in ære tuo esse, & obstringi magis, cum arctari vix etiam blandissimæ istud necessitudinis vinculum possit. Tuus ego, planè tuus sum, Vir Optime, Vir amicissime, & meus tu, planè meus es, quo frui cupio. Frui autem in Litteris nunc tantùm datur. Has expecto, te amo, colo, venerorque. Vale. Lovanii. xiv. Kal. Quint. ∞. Id. x.

EPISTOLA XXVIII. *Romam.*

AVGVSTINO GALAMINIO, *Cardinali.*

**R**ESPEXIT Deus vota nostra, Illustrissime & Reverendissime CARDINALIS, & pro meritis tuis te evexit, ut summo tandem culmini destinaret. Gaudeo, & Ecclesiæ gratulor, quæ his fulcris & tibi cinibus debet stare, his sideribus relucere. Gratulor universo cœtui Dominicano, cui etiam satis magnus non eras, nisi Sacram Purpuram induisses. Suaviter summum numen disponit omnia, & Numinis decreta Sanctissimi Pontificis prudentia sequitur. Hæc te dignitas manebat, quam Virtute, Sanctitate, & divino animo promerueras. Qui te noverat, non poterat de beneficio Dei dubitare. CARDINALIS eras, priusquam fieres: cum fieres, nomen tantùm & purpureus ille apex accessit. Meâ hæc etiam causâ dico. Reperire enim non potui, quî affectum in te meum cultumque augerem. Quantum alii Dignitatem, tantùm profectò animum ego tuum veneratus sum; Virum, tanquam CARDINALEM. Non igitur extendo devotionis obsequium, sed continuo. Pergo esse, qui semper fui: ut tu quoque solito Amore Puteanum tuum respicias, piè & obnixè



obnixè rogo. Vale & vive. Lovanii A. D. Eiduum Decemb. ∞. Ioc. xi. Quas adjungo, à COCQVETIO Litteræ sunt. Nôsti Virum, nôsti Corporis magni non infimum certè decus, nôsti Benevolentiaë tuæ radiis dignum.

EPISTOLA XXIX. *Dordracum.*

IANO RVTGERSIO S. D.

**I**TA est, Doctissime RVTGERSI, *κρυπτας δόξας* molior, & ad illum ferè, ut scribis, modum: sed labor hic omnibus imperfectus adhuc, varièque impeditus. Siquid contuleris, eam profectò gratiam habebò, quæ & beneficio, & simul eruditioni debetur. Itaque nec morosum *ἀντιδωρον* stipulatus es. Mittam quod in his observationibus rarum mihi visum, atque eâ ratione doctam liberalitatem tuam provocabo. Clarissimi BAVDII Oratio gratissima sanè fuit. Quid ni? mihi inscripta. Insignem verò Famæ portionem tibi debui, neque scivi. Quid verò, an te pescere beneficium voluisti, ut gratiam excluderes? Erras, æternum est: & hanc ut maximè referam, tamen obstrictus sum; imò ero, quamdiu Oratio ipsa legetur. Sed legi nunquam illa desinet. Ecce breviter iudicium habes. ac meritò laudo scriptionem, quam Suada ipsa æternitati consecravit. Malū aut vitio obnoxium puta, quidquid ferre ætatem non potest. Index & vindex ingeniorum *ὁ χροῖος*. Neque maculam juvenus accipit, quia reprehensa: ad officium rediit. Accipiam ego, nisi honori huic, quem dedisti, hostimentum parem. Id ut possim, rei & ingenii mei vires expendendæ sunt. Vale Clarissime RVTGERSI, & post beneficium magis etiam ama. Lovanii,

E

Postri-

Postridie Eid. April. ∞. Ioc. x. Cla. CORSELIVS  
exemplar accepit, & gratiam Salutémque adscribi  
jussit.

EPISTOLA XXX. *Bruxellam.*

FRANCISCO PAZIO, *Archiatro*  
*Serenissimorum Belgicæ Principum.*

**R**ESPONSVM hætenus distuli, Vir Clarissime, ut  
cum munusculo aliquo mitteretur. Hoc debe-  
bam humanissimis tuis litteris, quibus ad aman-  
dum provocor, cum affectu pariter & elegantia scri-  
ptis. Ego verò non amo tantùm, sed, vero verbo, vene-  
ror pectus illud tuum, Apolline plenum, & nomen  
multijugi eruditione ac Virtute clarum. Accedit di-  
gnitas, & Librorum studium, dignum profectò Viro  
magno, & apud Posteritatem victuro. Etenim qui sic  
aliorum monumenta colit & ingenia, quid nisi suum  
commendat? At meas lucubrationes timidè in hunc  
thesaurum infero, vitrum in has gemmas: quia jubes  
tamen, & pridem locum aliquem nactus sum, obscu-  
rus in illustri tot scriptorum numero; submitto gemi-  
num nunc libellum, reliquisque meis viam sterno, sed  
conquirendis. Tam ego operum meorum curiosus  
sum, ut ne possideam quidem quæ vulgavi. VINDICIA-  
RVM unicū hoc exemplar habebam: quod Patriæ for-  
tassis causâ non displicebit. CAECITATIS CON-  
SOLATIO recens est, & videtur Medicinæ agnata. Nam  
& oculos Medici considerant, & Consolatio quoque  
Medela est. Vale Clarissime & Expertissime Vir, &  
Valentes nobis Optimos PRINCIPES divinâ arte serva.  
Lovanii, v. Kal. Sept. ∞. Ioc. ix.

EPI-



EPISTOLA XXXI. *Lutetiam.*

NICOLAO & CHRISTOPHORO SAPIEHIS  
F.F. *Palatinidis VVitebcensibus.*

**E**T SI nunquam de affectu vestro dubitavi, Illustris juvenes; tamen in litteris eum velut candore suo pictum contemplatus sum. Enimvero ut amatis, ita scribitis; & ut ubique humanitas reluceat, generosam exseritis indolem, proni in eos omnes, qui aliquo eruditionis nomine commendantur. Sed ego quidem quia amor, beneficium agnosco: quia compellor, etiam honorem. Sic igitur velut cælestis aliquis radius, magnorum affectus est; calfacit, sed & illustrat. Magnorum: non tamen omnium. Frigent nonnulli; & nunc ille, cujus ardorem admirati estis. Nondum liberalitate suâ dignas Litteras censuit: nondum induci potuit, ut solida Æternitatis vota æstimaret. Ego in re cœptâ nihilominus pergo, & sulco undas, quas ingressus sum; ut Patriæ, & Iuventuti profim. Nox ista temporum tandem vinci poterit. Non unum omnes astrum, qui navigant, respiciunt: Graii Helicæ olim, Phœnices Cynosuram. Plures in cælo stellæ sunt; in Orbe Principes. Ornamenta fortassis aliquis conferet, etiam qui non promisit. Vos ut ab axe vestro faveatis, ut ametis Bonam Mentem, rogo. Lovanii. x. Kal. Februa. ∞. loc. xi.

EPISTOLA XXXII. *Venlonam.*

IOANNI PVTEANO *Fratri suo* S. D.

**H**OC certè ab amore tuo impetrabo, mi Frater, ut extra suspicionem omnem silentium meum habeas. Quàm variè in publico isto munere

impediar, ignorare non potes: & quia tabellarius ferè incertus, differre Litteras audeo, donec urgear. Sic nunc scribo, & præcipitem ago calamum, ne sine responso bajulus discedat. Diligentiam tuam amo, & tam suave alloquium, quod Musis interpretibus contextitur. Sic perge, & laboris tui fructum spera. Scribere non potes, nisi ut ingenium excolas: & ego, ut te maximè amem, eruditum cupio. Noli Scholarum terminis Minervæ favorem includere. ubique terrarum tam bonum numen invenies. Tu tibi vaca, & scholam habes: libros evolve, & Præceptores nactus es: stylum versa, & ad vota pergis. Etiam inter negotia aliquæ horæ studiis vindicandæ. Cùm dies occupantur, nocti injicies manum; aliquid somno demes, ne ignavæ tenebræ sint. Iucundiùs ages, si quotidie doctior meliôrque Solem adspicies: & novâ luce dignus est, qui ad lychnum quoque vixit. Nunc legendum tibi, quod ad stylum, & ad mores transferas; nunc scribendum, ut exprimas monumenta, quibus oblectaris. Tantum profecisti, quantum exigere ab ætate istâ potuimus; pedem figis sine manu ductore, sine scirpo natas. Quid igitur? audere debes; & ne frustra hæcenus in studiis fueris, nunc agere quod egisti. Perierunt pueritiæ anni, nisi & Adolescentiam occupes. Non tibi, sed exercuisse Patri ingenium videre, si jam desinas: & verè amisisse Patrem, si Musas neglexeris. Quod ille imposuit, familiæ debes, & adjicere negotiis, quod animum perficiat. Solæ divitiæ, quibus passim student omnes, te beatum non facient; nec magnum, quæ vulgus admiratur. Virtutem si possederis, omnem Fortunæ vultum intrepidè excipies. Sed Virtutis summum ornamentum Doctrina est; illa inquam, quæ lucro hodie

non



non servit. Ergo ut dives sis, ad paupertatem te duco; & eruditum volo, ut omnia habeas. Plerique mortali-um cum in auro suo volutantur, cupiditatibus pal-  
lent; & quia non capiunt congestas mille laboribus divitias, novas cupiunt. Rivum ingressi sunt, & adhuc sitiunt; an-  
nem quærunt, ut mare adjiciant; omnia concupiscunt, ut miseriam augeant. Ride hæc vota, & ad illustria te magnorum Virorū exempla compone, de quibus hoc jam non quæritur, An opulenti fuerūt. In dolio Diogenes vixit, & Philosophari potuit: pau-  
per fuit, & felicem se ostendit: rejecit Alexandri libe-ralitatem, nec eguit. Vt animus est, sic Fortunam ha-  
beas. Si splendidiore aliquando Majores nostri, hoc agamus, ne feliciores fuerint. ad Naturam vivamus, & omnia suppetent: honesta amemus, & relinquemus  
posteris, quod præ divitiis æstiment. Mi Frater, ea di-  
co, quæ audire ab optimo Parente solemus; imò quæ in moribus ejus videre. Sermone, sed & exemplo nos docuit, ad Virtutem & Doctrinam stimulavit, mode-  
stiam & pietatem præscripsit: ut grati simus, sic viva-  
mus: ut filii simus, sermonem & exemplum æstime-  
mus. Lugere parum est: hic Urbis totius affectus fuit, quam Consul velut Pater rexit: imitari & referre no-  
strum est, ut & in posteris profuisse videatur. Alteræ tuæ Litteræ querelas habent: sed quid? semel eluctan-  
dum est. De domo quod Mater destinavit, fiat: angusti-  
us alibi habitabit, sed quietius. Et cur se cruciet? Non possunt nisi cum dolore vulnera quædam curari: & sic  
ne omnino felix sanitas sit, cicatrix hæret. Nemo si-  
dem aut integritatē familiæ culpabit, si boni esse ma-  
lumus quàm magnifici. Non domus PVTEANOS fecit, sed illi domum. ubicumque habitabimus, nomen tue-  
bimur.

bimur. De Rusticis Echantis quid dicam? iniqui sunt, & humanitate meâ abutuntur. Atque hoc lepidum, duo terræ jugera periisse. Scilicet vicini avaritia terminos exaravit, suo fundo alienum adjecit. Ut video, Saltuario opus, qui fines custodiat: imò Apparitore, qui nequam homines ex agellis ejiciat. Fiet mehercle, si pergent mali esse, fidemque fallere: ac tum reperire cogentur, quod perire non potuit. Ne pecunias numerent, tricas meditantur. Sed litteras argutulè impudentes annon INGENRADIUS meus ostendit? At ego tres iterum menses indulgi, & conditionem tuli, ut interea Matri, quos mihi ex contractu destinavit numeros, solverent. Ergo hanc quoque fidem experiemur. In rebus Segerianis doleo moram esse. Sed quis nobis nodum istum Gordium dissolvat? non Amitinus ille meus, etsi ALEXANDER. utinam aliquis è machinâ Deus! Statui Amplissimo Geldriæ Cancellario P E T R O BOSCHIO rem commendare: quia æquum postulo, promptum Iustitiæ auxilium inveniam. Tot molestiarum & calamitatum auctor BYLIUS existit; & quasi non satis, perversis consiliis Avunculum perdere, damni reliquias in nos derivat. Scilicet tantum militiâ profecit, ut qui sibi malus fuit, amicis esset pessimus: qui nullam hostibus cladem intulit, jam civibus, imò propinquis noceret. Sed nolo ulcus istud tangere: ego meliorem Viro Fortunam precor, nobis quietem. Tu vale mi Frater, & rectè semper age. Matrem, totumque Larem saluta. Lovanii, III. Non. Martias. ∞. LOC. XII.



EPISTOLA XXXIII. *Bruxellam.*

R. P. MELCHIORI DAELHEMIO,  
*Scholæ Augustiniane Præfecto.*

**I**NFRA gratiam libellus erat, quem misi: & tu tamen prægnanti animo eam promis. Ego quidem non indignum explicatione argumentū istud habui; & nunc gaudeo sententiam meam confirmari. Sed utinam tam libenter alii Virtutem audiant, quàm ego doceo! discerent ante omnia *τοῖς καλοῖς ἡδεσθαι, καὶ ἀχθεσθαι τοῖς ἀισχροῖς*: discerent, uno verbo, Bonam Mentem amare. Exercitationes meæ huc etiam faciunt: & tamen oppugnantur. Sed pluris apud me publica utilitas, quàm hominum quorundam malignitas valebit. I. MVLDERVS munere suo jam defunctus est, juvenis egregius planè, & qui præclaro exemplo ostendere poterit, quid ingenium Disciplinâ vestrâ excultum possit. Sed nonne & BREDAM, & BVRGVNDIVM, & plures vobis debeo? Veniant etiam, quos commendas; grati, & peculiari affectu meierunt. ARCHITHRENIUM flagitare incipio: fac obsecro, manum admove, & isto scripto mores multorum corrige. Editio, quæ penes me, Ascensiana est, Anni ∞. IOC. XVII: tua si alia, hanc meam tuam puta, & pete: mittam. Lovanii, Postridie Nonas Aprilis, ∞. IOC. XI.

EPISTOLA XXXIV. *Mariæmontium.*

D. FRANCISCO IBARRÆ,  
*Serenissimo Principi à-Cubiculis.*

**V**T sapius Aulam cogitem, tu facis Vir Illustris, in cujus pectore, velut Gratiarum Sacrario, sedem elegantix omnes habent. Musas, & doctrinam

nam

nam colis, Prudentiam, & Virtutem: ut omnia dicam, Aulâ, & tali PRINCIPE dignus es. Mehercle ignorabam ego, istis stellis luminibûsque Solem nostrum stipari. Sed feliciter summum accessi jubar, quia & humanitatis tuæ radios hausi, atque simul accensus sum. Videre & audire te non potui, nisi ut amarem: amare autem non debeo, nisi colam. Itaque ut quantum velim, præstem; admitte quantum mereris. Volo summa, mereris omnia: & sic ut summa præstem, omnia molior: affectu, cultu, obsequio, ore, stilo tibi placere. Etiam ad munusculum descendo, libellum mitto; sed tenebris Cimmeriis circûfufum. Quid autem? ut dare beneficium videar, peto. Etenim legere hoc SOMNIVM meum non poteris, nisi ut illustres: nec ego placere, nisi fortassis molestus sim. Sed meliùs ominor: exploratum jam pectus tuum habeo. æstimabis munusculum, quia Litterarium est; & me amabis, qui jucundus esse potui in lubricâ scriptione. Mores nemo reprehendit exulcerati ævi, qui non hostes inveniret. Ergo ad imaginem cõfugì, tenebras finxi, Cimmerios adumbravi: quid omnino fecerim, videbis; & quid nunc Epistolâ istâ faciam. quò faciliùs me ames, hilarem te conor reddere: scribo, ut libellum comiter. Sic vale, vive, & generoso nominis ingeniique splendore, quas amas colisque Litteras, seculo commenda. Lovanii, iv. Kal. Decemb. ∞. IOC. XI.

EPISTOLA XXXV. *Mediolanum.*

ANTONIO OLGIATO, V.R.

*Bibliotheca Ambrosiana Præfecto.*

**M**AGNA silentii audaciâ usus sum; quam ut excusem, humanitas tua permittet. Vix meus aliquot istos menses fui, & rarissimas Mediolanum

num



num Litteras misi. Vt omne cælum nubes suas habet; sic & vita hæc mea distringitur, & munus oneribus suis laborat. Amare, cùm non scribo, magis etiam soleo, & stili defectum, animi quâdam cupidine supplere. Etenim cogitatio sæpius alas sumit, & evolat, cùm scribendi voluntas impeditur: imò crescit amor, quia officium retardatur. Vides quid fecerim. Debebam Litteras, affectum persolvi: calamo peperci, animum impendi. Amavi, non ostendi. Nunc verò ex intervallo vim negotiis inferam: ut excusatione dignus sim, silentium ipsum frequenti scriptione tollam. Tu amare perge, imò scribere; ut sciam præter Amorem esse, quod epistolari officio pertractetur. Vale, & Collegis Salutem nuncia. Lovanii, Kalendis Maii.  
∞. Ioc. XI.

EPISTOLA XXXVI. *Bruxellam.*

CAROLO MALINÆO, V. A.

*Aerarii Principum in Brabantia Præsidi.*

**P**ROPINQVVM hunc meum, SEGERVM LOMMIVM, commendare humanitati tuæ audeo; ut quantum Aerarii rationes patiantur, facili contractu arbores, quas empturit, obtineat. Vt intelligo, sine damno silvæ numerus ille facilè excindatur; imò verò onus esse, cùm jam surculis & plantis, quæ succrescunt, alimenta non sufficiant. Exoneranda interdum tellus, quæ gravatur, ut lassitudinem effugiat: & sic colonias suas etiam Silvæ mittunt, sed in Urbium, hominumque usum. Vt aliquid te causâ meâ facere hic meus intelligat, obnixè rogo: quem sic obstringes tibi; me unâ, etsi jam obstrictum. De AVRELIO audire cupio;

F

sed

sed convaluisse. Ista ipsa profectò mora & absentia morbus est, & studiorum profectum debilitat. Ergo valetudinem recuperet, aut si recuperavit, Litteris impendat. Hoc enim cupio, ut adsit, & exerceatur. Tu vale Amplissime Vir, cum Conjuge & familiâ. Lovanii, iv. Kal. Febr. ∞. 168. x.

## EPISTOLA XXXVII.

FRANCISCO SVVEERTIO F. S. D.

**Æ**GIDIVM tuum nunc demum vidi, cui ego operam sponondi, bonâ & amicâ fide. Hanc certè debeo tibi, mi SVVEERTI; & sic illi, quem commendas. Atqui hoc novum mihi, neque novum tamen, *Alopecios ἀλωπεκίσειν*. Homines aliqui vultu & sermone boni sunt; moribus & cultu honesti: sed remove paullulum fallens illud velum; imposturam invenies, & sub cretâ sordes. Nonne in nostro etiam, id est, Musarû theatro? Tu judica, qui in candidâ veste utrumque illum conspexisti, TITIVM & GAIVM. At mihi nomina ista ignota, aut obscura erant; facilè ex hoc nunc campo removenda, si suffragiis agatur. Ego tamen ferre possum, quos vincere; ut amare soleo, quos suspicio. Lenis sum candidûsque, & ad Benevolentiam naturâ propendo. Valdè aliquis protervus sit, qui ad nugas, rixas, æmulationes pertrahat. Verbo vis? Geniû ejus refero, quem sequor. Quid autem? & DIONYSIVS VILLERIVS caussam meam egit? obsecro, gratiam Optimo Viro scribe, & cultum obsequiumque meum animitus defer. item VVVENO, quem in amicâ istâ cohorte vestrà velut ταῖς ἀρχαῖς scribo. IOANNEM  
Wov-



WovverENVm videre coràm, & audire votum est; sed valentem. Tulapidè molliterque cura hominem, & velut Antiochi oculos; imò detine, ne ante adventum meum elabatur. De hospitio, te amo: sed apud Woverivm promisi, Litteris & tesserâ jam collatâ. Calor incrementum sumit, & differre iter in Septembrem cogit. Vale. Mediolani, III. Non. Quinctil. ∞. Ioc. vi.

EPISTOLA XXXVIII. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTÆ SACCO, V. C.

*Senatui à-Secretis.*

**D**E Antilocho jam videram; imò verò, ut ingenuè dicam, ausus eram Patroclum substituere. Sed isto errore laudes meæ dignæ, profectò exuberantes. Casus affectum castigavit. Nisi tamen inspersisti leve vitium, ingeniosius ut tolleres; & fabulosum mutasti nomen, ut corrigendo bis elogium perscriberes. Vin' dicam? Etiam nunc errasti: nec Antiochus, nec Patroclus; sed ipse tu Achilles videris, & vel Hectorem aliquem sternas. Ego Vir Præstantissime stili tui ingeniosam majestatem admiror; imò sic te

*Scribere posse, inter tot curas, totque labores.*

Accurata omnia, amussitata omnia: nullum elegantix damnum festinatio infert. Quicumque Belgarum Litteras tuas sive audit sive legit, protinus exclamat: HIC VIR EST, & stilo doctrinam pariter & prudentiam exquisitam promit. Quibus vocibus mirum in modum quotidie & iudicium de te meum confirmo, & affectum extendo. Sed an aliquando dabitur, iterum te, quem religiosè æstimo, efflictim amo, coràm am-

plecti, atque venerari? Eriperem sæpe horas aliquot etiam occupato, & ad familiares Sapientiæ sermones transferrem. O suave ejusmodi otium! sed quod sperare tamen audebo, si Princeps ille volet, ad quem nunc Litteras mitto. Vide, trade, & vale. Lovanii, Postrid. Non. Ian. ∞. Ioc. XI.

EPISTOLA XXXIX. *Alexand. Statiell.*

CORNELIO BREDÆ, *maximè suo S.*

**S**CRIBENDI argumentum his aliquot septimanis collegi, mi CORNELI, id est, filui. Ac jam quidem sterilitas quoque hunc calamum premat, nisi alieno, ut sic dicam, rore imbuam. Narrabo igitur, quod hodie mihi Vir amicus: an è fidei tabulis, tu judica. Comædi scenam suam (nec locum nomino) explicuerant, cum plausu simul & lucro. Hauriebat curiosus quisque delicias non vulgaris siparii, illicisque Musæ; cum Vir probus è religiosâ familiâ novitium illud theatrum, velut libidinis Palæstram, pro concione perstrinxit. Sic læsi Thalix filii, meditatam ultimæ fabulæ exodium Vindictæ consecrârunt. Quid verbis opus? ultrici focco scelera confingunt: & quicquid oculorum auriûmque castitas horret, producunt, planè in jocum risûmque vulgi. Ecclesiastes ipse per pægma ambulans sacerrimo habitu, *multorum scilicet annorum secreta* pandebat. O impudentiam! Sed quid nō audent dicere, qui pessima faciunt? Sic verò, ut pœnam evitarent, mox è plauastro, & Vrbe in tutum se receperunt. Ac sanè in tam impios ipsa meritò religionum auctoritas sæviisset. Audi nunc etiam, & ride fabulam. Thessalicas Artes in scholas juvenus induxit. Doctor è Gra-



è Græco Scriptore nescio quid lecturus, vocem in sacros modulòs attollere cœpit, & periodos aliquot cantillare. Cogita quæ admiratio, quis risus auditorium ceperit. Ille verò non voce tantum, sed motu quoque stultissimo spectaculum auxit, & in pulpito saltare visus, imò cum ipso pulpito. Tum in scholam terni juvenes ignotâ facie, imò ternæ larvæ irruerunt, quisque nervo taurino armatus, & saltantem Græculum non perfunctoriè verberârunt: an in odium fortassis linguæ? nosti quorundam mores. Tu quid? & uti consuetudinè GHILINI pergis? De Legato etiam ad me SACCVS noster scripsit, pronum in Litteras atque proclivem esse. Vocari igitur, ac transferri quamprimum te velim; discere, quæ magnis consiliorum momentis librantur, & quorum cognitione magnus ipse evadas. Sed fulcris quibusdam virtus indiget: ut armis miles. Sit fortis quisque, tamen nudus nemo pugnat. Splendidæ amicitia quædam te Fortunæ commendabunt. Navim instructam habere satis non est; vento opus, aut certè remigio, ut quis naviget: sic, mi Amice, ad bona vota lenti sumus, aurâ & operâ nisi provehimur potentium amicorum. Iam verò Hispana suffragia quid non possunt? quid non ille, qui publicam honoris urnam unâ quatit? Nobis non fallaci vultu tranquillitas videtur abblandiri: Pax aut Induciæ in propinquo: Bataviæ Ordines Bergam ad Zomam venerunt, ut statuant. Res eò deducta est, ut vix ad bellum redire liceat. Ego solitam meam Spartam adorno; ac jam ad Tacitum explicationis operam transtuli, præmissâ è more Oratione, sed extemporali. MEDICÆVM absolvere tandem statui, & pari conatu FONTANVM experiri. interea tamen EPISTOLARVM BELLARIA prodibunt. Syn-

tagma DE LACONISMO vulgatum est, & ARSCHOTANO  
 inscriptum: qui non vulgariter cultum meum æstima-  
 vit. Ab HOLLANTIO jam Theatrum Vitæ Humanæ ex-  
 specto, in octo tomos distributum. Liber est, qui va-  
 rium usum habet, siquis à fruge paleam separet. De  
 Equo & Cane scripseram: tu ride. sic interdum oti-  
 um oblecto. Plura velim, sed avocor. & cur velim? u-  
 tramque ecce paginam implevi. Desino. tu vale. Lovan-  
 nii, Kal. April. ∞. Ioc. IX.

EPISTOLA XL. *Duacum.*

IUSTO MVLDERO suo S. D.

**I**N culpâ ego, qui silui: tu tamen iterum scribis, af-  
 fectum aperis, & benigno calami officio excusare  
 videris, siquid peccavi. Sed mi MVLDERE, varia  
 me, etiam scripturientem, quotidie impediunt; & in-  
 humanus esse cogor, Genio reluctante. Tandem tan-  
 dem aliqua me quies respiciet: tandem ostendam,  
 quibus vacare Amicis velim, & quorû ingenia promo-  
 vere. Tua, quæ promittis, expectabo. Perge autem  
 fa miliares tibi Elegantias Linguâsque reddere, &, ut  
 aliquid mihi debeas, facere, quidquid hîc cum laude  
 soles. Eminuisti in PALÆSTRA BONÆ MENTIS, & publi-  
 cè pectus tuum fulsit. quia hîc numismate PRINCIPIS,  
 istic nunc eruditione conspicuus esse potes, quâ nu-  
 misma promerueras. An utilis ego nostræ juventuti,  
 fac ostendas. etiam in illâ solitudine frequentiam in-  
 venies: ubi Disseres, Recitabis, & Interpretem ages,  
 PALÆSTRA erit. Pauci isti theatrum constituent, quo-  
 rum ibi suavis te familiaritas delectat: Pauci? unus il-  
 le



le HECTOR BOVRITIVS, cui ego, vel tuâ cauffâ, mi MVLDERE, faveo, facturvs quæ petis. Sed cur eum hîc non novi? Modestia aliquos à consuetudine meâ avertit, cùm tamen omnibus pectoris hæc limina & penetralia pateant: quosdam nescio quæ *δυσωπία*. Sed bonum & egregium esse decet, quem tu laudas: sic etiam amare nunc incipio, quem non docui; & meum scribo, qui tuus esse meruit. Symbolum igitur, cùm volet, accipiet. Sed quando profecturus? an spirante mox Favonio, & cum amœnitate vernâ? at ab anno hiberno in æstatem transire, & in nouo aëre calores prælibare, noxium. cogitet. Epistolarum BELLARIA nuper rimè edidi; APOPHORETA imprimuntur. Historiam etsi maximè præcipitabam, distuli; quam tamen hac æstate, si Deus permittet, videbis. PALÆSTRA verò jam floret: industriam meam exteri æstimarunt, & venère è Sarmatiâ Nobilissimi aliquot juvenes, qui Bonæ Menti studia devoverunt. Hodie in Sodalitate B. V. hîc Orationem habui, DE PVRFICATIONE. Vt maximè facundus essem, pius fui; & in maximo loco angustiam incredibilis frequentia fecerat. Vides; exemplo præeo: ad Eloquentiam quoque sacram non ostendo solùm vestigia, sed figo. Ita autem dixisse videor, ut potuerint excitari, quicumque audiverunt. Ipsa Oratio, si prodibit, ad te quoque veniet. Iam & Saturnalia nostra ego auxi De Puteali Libonis, De Batavorum origine, De Rifu dixi; & extempore in Plausores declamavi, quos facetissimo sermone in conspectu Academiæ pudefecerunt. Ecce familiariter tibi mea narro, nequid rerum tuarum me celes. An te amem, sic ostendo. Parentibus tuis cùm scribes, salutem à me, & affectum nunciabis. Vale. Lovanii, Post. Kal. Feb. ∞. IOC. XII.

EPI-

EPISTOLA XLI. *Antuerpiam.*

IO. BAPTISTÆ GOVBAVIO S. D.

**N**VPER Litteræ tuæ, nunc olei vasculum allatum est. Atque illæ me spectabant propriè; hoc uxorem meam, quæ, ut Itala, Minervæ illum succum de meliore promptum notâ quærit. & sic ausa à tuo penu petere. Pretium ut in rationes referas rogo, suo tempore pariandum. Nunc ad filium quod attinet (de eo enim Litteræ loquebantur,) ego sanè, quia tuus est, & quia nunc in meâ domo, meum puto: & sic pluris, curare quem amo, quàm alere quem erudio. Indoles bona est, ingenium facile: perfectio studio, industriâ, disciplinâ acquiritur, & consuetudine bonorum. Sed in tantâ frequentiâ non omnes boni: quidam etiam, licet non mali, tamen nocent. ideóque arceudi sunt. Non boni ad inhonestâ, vana, turpia, solent ducere: non mali ad otium. Sic priores isti sceleris velut causa existunt; posteriores, damni. Mea hæc cura erit, ut moribus, Litteris, & iis demum artibus IO. BAPTISTA tuus incumbat, quibus aliquando resplendere possit. Eiusmodi sodalibus jungendus est, quorum familiaritate proficiat; cetera ego, & alii faciemus. Ego, quem domi & publicè Doctorem habet: alii, quos Iuris Civilis causâ frequentat. Sed de fine studiorum etsi nuper intellexeram, tamen scire curiosius velim. nam si ille talis, qualem opinor, Iurisprudentiæ studio Litterarum & Historiarum adjungi debet peritia, ne sine flammâ facem habeamus. Ecce operam meam & curam promptam scribo, & si tantum mihi



mihî tribuis, patrem sollicito affectu agam. Vale, & salve cum familiâ. Lovanii, Propriidie Kal. Decemb.

∞. 100. XI.

## EPISTOLA LII.

*Neapolim.*

ALBERTO STRUZZIO, V.N. & *Amico S.D.*

**D**OMVM viso, cùm te non licet, & vestigia libo, paullo pòst iterum à te premenda. ΟΙΚΟΣ ΦΙΛΟΣ, ΟΙΚΟΣ ΑΡΙΣΤΟΣ in Larium tuorum limine legitur; & quid nisi ut quietem colas, quam Deus dedit? fruaris otio, quod occupare pulcherrimè potes? Nunc velut orbe à nobis remotus es, & quasi à te ipso, quia à conjuge, magnâ tui parte. Quando redis? & communes amicos suavissimâ Genii tui amœnitate recreas beâsque? Ut ædes sine igni mortuorum imaginem habent: ita nos jam vivere non videmur; quia sub alio velut Sole agis. Sed cùm Italiam cogito, & delicias antiquæ matris, vix urgere reditum audeo. Hiemem hîc jam agimus: tu Veris & Favonii suavitate circumfusus es. nive, imbre, vento percellimur: tibi cæli benignitas ridet. Quocumque calculum verto, ad horrorem te revoco, & ad rigentes, aut certè madentes plagas. Et revoco tamen, ut velut ab igni calorem ad nos feras, delicias ab amœnitate. Frigemus, quia abes; squalemus, quia oculos animùmque præsentî affectu non imples. Quanti amicos facias, jam experiemur. Vota nostra implere non potes, nisi ipse à felicitate recedas. Extra jocum: avidè omnes, & ego ante omnes te exspecto. Scribo autem, ut affectum absenti renovem, HELENA discessit. A Cardinali BORROMÆO litteras

G

habeo,

habeo, qui videre & alloqui te te voluisset. Ergo in re-  
ditu fiet. Vale. Scripsi in tuâ domo, ut pransus fui, &  
in eâ ipsâ mensâ, quâ pransus, cùm Reverendissimi  
P. IOANNIS NEYENI, Commissarii Generalis, mater  
adesset.

EPISTOLA XLIII. *Bruxellam.*

CAROLO MALINÆO V A. & *Præsidi.*

**V**T insignem ego tuam & doctrinam & huma-  
nitatem colo, Vir Amplissime: ita omnes me-  
ritò debent, qui ab utrâque illâ non alieni. Vir  
iste, quem vides, Musarum & meus quoque amicus  
est: & quas ipse possidet dotes, magis etiam in aliis ve-  
neratur. Itaque cùm libenter ex me virtutes tuas au-  
diret, etiam adire te ipsum voluit. volentem verò litte-  
ris meis comitari, humanum ego duxi. Itaque brevi-  
ter scribo, & velut duco, non manu quidem, sed offi-  
cio tamen manus, id est calamo. Coràm amabis etiam,  
qui sic ducitur. Virum & moribus venustum probum-  
que, & eruditione clarum: qui & sedem in Brabantiâ  
figere decrevit, & inter bonos bonus agere, ritu bono  
& prisco. Vale. Scripsi raptim, frigente manu, non a-  
nimo; quem nomini tuo devovi.

EPISTOLA XLIV. *Gandavum.*

NICOLAO BVRGVNDIO *suo S.D.*

**E**GO verò te amo, mi BVRGVNDI, & cogitatione  
viso, quoties epistolare officium rerum & occu-  
pationū nexu impeditur. Nōsti munus, & simul  
onus



onus meum : severus in me esse non potes, nisi ut otiosum existimes. Diem citius sine nube, quàm horam sine impedimentis habeam. Abfui quoque. PALÆSTRAM Serenissimo PRINCIPI obtuli; dies aliquot nescio quibus votis fatigavi; rem familiarem novis auxiliis fulcire conatus sum: nec infeliciter labor cessit. Tantum videtur fatum indulgere, ut oblivisci jam Italiæ possim, & firmare sedem, ubi invidiam quorundam vici. Nuperum periculum tuum me terruit; sed periculum: evasisti. Nihil homini tutum est; & quocumque protollimus pedem, Parca sequitur. De optimo doctissimoque Amico nostro bene tu mereris: tantum obstringis tibi Virum, quantum commendas: nec minùs juvare ego & adniti cupio, quàm commendas. Sed petitio magna est, nec sustineri viribus meis potest. In majori negotio nuperrimè expertus sum, ad splendendam Pauperiem Musarum studia damnari. Quid faciam igitur? equidè hæreo. Vndis non sufficiet nostra navis. Nam mare est, quod sulcandum censes. Venti unde quaquè sæviunt, & confundunt cursum. Si quis Favonius, infesto flatu & turbine reprimitur. Iam repentina petitio, odiosa. Quid si tarda quoque. Iam esse puto, quibus Magnates faveant: & in tali electione, Patriæ & Magnatum consilio PRINCEPS utitur. Suffragia ab Italiâ petere, longum est, sed & arduum. Quid? rem plerique dare malunt, quàm commendare. Ita crede. Sed ego cùm de eventu despero, nolo promittere. Pereat quoque hæc occasio: non propterea communibus votis omnem Deus fortunam subtrahet. Alumnum suum Virtus, & Eruditio tandem vindicabunt. Litteras WALLÆI cum gaudio legi, & talem amicum in primo ordine collocavi. Nunc

respondeo, sed breviter; ac frustra verba cumulo, cum affectus loquitur. Apud familiarem tuum, quem & meum voco, **TORRIVM**, eadem excusatio valeat. Tantum otii non fuit hactenus, ut in libellos inquirerem. Faciam igitur, & si opus, facem ac viaticum sumam. Epistolarum mearum **BELLARIA** imprimuntur, & sequentur **APOPHORETA**. Ad te siquid amicitia nostra dignum scripsi, trans mitte exemplar. **BVRGVNDII** mei nomen in hoc opere relucere volo. Iam **MARCANI** legitur. Historiam serio adorno, ac tali scriptione audebo Posteritati placere. Carmen tuum optimum profecto est; sed nescio, an satis huic limini aptum. Maluisssem breve aliquod, & in Historiæ laudem, ipsiusque **MEDICÆI**. Quos salutas, alia & remota jam terræ habent. In Galliâ **MVLDERVS** agit, in Hispaniâ **ROBERTIVS**: sic imminuitur numerus ille noster, ut crescat. Alii abeunt, alii veniunt; & hi, ut abeant quoque. Fructum legunt, & discedunt: aliqui etiam ne legunt quidem. Obsedit adhuc pristinum pectora frigus, & in hoc ingeniorum artiumque strepitu Bonæ Mentis scintillæ languent. Te quando complectar iterum? quando in Palæstrâ audiam? Vnus mihi implere hoc theatrum potes; unus ostendere, quàm facile ad eruditionem & eloquentiam itur, si quis **Exercitationes** æstimet. Arbitrari nuper creatus est **LAMBERTVS RADOVSIVS**, egregius planè juvenis, ingenio & industriâ præstans, qui munus suum etiam Græcarum Litterarum cognitione ornat. Sunt & alii, stilo oréq; prompti, & magnos ad Eloquentiam animos adferunt. Curatorem habemus **WYTFLIETIVM**, qui tantum industriâ consecutus est, ut inter primos audiatur. Tu vale mi **BVRGVNDI**, & Palæstram cogita. Vt Elegias tuas omnes, & carmina

colli-



colligas, te rogo. Famæ favor hanc industriam non destituet. Lovanii, Prid. Idus. Novemb. ∞. IOC. XI.  
 Ad BREDAM litteræ tuæ missæ sunt: is ERRORES suos edit. Sed WANNEMAKERI Triumphum an vidisti? quid censes? multum amat, qui sic laudat: & quibusdam tamen parum laudat, qui sic scribit. Sed profectò, ut ego me seponam, libellus bonus est, ingeniosè & facundè compositus, certè cum affectu. Melior etiam secundâ fieri editione poterit.

EPISTOLA XLV. *Bruxellans.*

FRANCISCO KINSCHOTIO V.C.

*Finantiarum Graphiario.*

**P**LYSCVLOS jam dies silentium meum occupavit: illud partim ab occupatiunculis, partim ab argumenti defectu natum. Parum certè erat, quod scriberem; aut quod dignum epistolâ. Nunc libellus iste occasionem præbuit, in gratiam Juventutis Latine à me versus, & excusus. Sic omnem moveo lapidem, ut quod optimum in doctrinâ est, amare juvenus incipiat; & saltem conatus meos intelligere. Non omnes profectò PALÆSTRÆ Institutum amant: aliqui etiam oderunt, quos tam libenter negligo, quàm facile offendo. Damnant Litteras, quas ignorant; & ut rem dicam, pro barbarie pugnant. Ego de industriâ meâ nihil remitto: sed quid est? pauci generoso illo honesto, ut Persius appellat, ducuntur. Quidam etiam otuari malunt, quàm in Litteris proficere. Insitus hic morbus; nec scio, an his conatibus tollendus. Quantum omnes possint, aliquorum saltem exemplum ostendet, qui cum Musarum adyta feliciter penetraverint, non minus Themidi litant. Tuus ille ex inter-

vallo ad PALAESTRAM venit: quem tamen non semel excitare conatus sum. Vt originem culpæ scias: Sodales suos sequitur. Quid si contubernium mutet, & meliori exemplo studia sua componat? Est in viciniâ meâ CRANEVELDIVS, civis honestus, apud quem Graphiarii WYFLIETII filius habitat, juvenis modestus, & studiosus, & Bonæ Mentis amans. Talem ego domum, talémque Sodalém audacter commendem. In Scholâ jam Aristotelem aggressus sum: si tamen ille libelli hujus auctor. tantum nomen libenter usurpavi; præsertim cum alii non rejiciant. Ergo Virtutem quoque publicè doceo: quam ut & Palæstrita noster audiat, litteris tuis facies. nam interesse Dissertationibus meis rarò ille solet. Sed, ut iterum dicam, facit, quod sodales faciunt; quibus fortassis tantum otii non est, ut vacuam horam Minervæ impendant. Satis eruditi sunt, si Ius tetigerint. Nonnullos etiam nova hæc industria mea cruciabit, quòd ad Virtutem Litteras transferam. Absterrere enim à Litteris juventutem non poterunt, nisi & virtuti videantur infesti. O homines! sed mallem ista coràm. Et cur te in hac aliquando tandem Vrbe non video, & complector? Vnicè cupio. Fac, & feliciter sicciore istos dies transige. Lovanii, XIII. Kal. April. ∞. IOC. XI.

EPISTOLA XLVI. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTÆ SACCO, V.C.

*Senatui à-Secretis.*

**C**HARTAM potiùs quàm epistolam mitto; ita quid scribam nescio. Hæreo, fluctuo, metuo, spero. Ab hoc iterum Principis tui, imò mei, pendeo morbo.



morbo. Quid est? O mi SACCE, quid homo? quid cogitationes omnes humanæ? scribe, scribe, ut sciam, lætitiæ an dolori hic meus animus consecrandus sit. Dolori, sit antus ille Mæcenas eripitur; lætitiæ, si inter homines pergat esse. Vale. Lovanii, Postridie Kal. Decemb. ∞. loc. xi.

EPISTOLA XLVII. *Mechliniam.*

ARNOLDO BAERT, V. A.

*In supremâ Belgicæ Curia Senatori.*

**P**OST varia tandem impedimenta me collegi, Epistolam de Luxu quæsiivi, sed irritò conatu. Citiùs, opinor, filiam suam Ceres, quàm ego hanc invenero. Et mihi hæc quædam Proserpina est, tanquam à Plutone raptâ, à luce ad tenebras translata. Quod fieri homines aliqui voluerunt, tandem contigit: oculos manûsque Belgarum libellus iste fugit, imò quòd noluerunt, contigit: ne perire posset, divenditus est. à quibusdam damnatus, ut ab omnibus legeretur. Quid etiam? placere melioribus cœpit, quia nonnullis displicuit. Si rectè expendo, bonitas raritatem induxit. Cum fiduciâ sic loquor; nec jam me fallere Fama potest, quæ libero & generoso iudicio tuo fulcitur, quæ auctoritatis robustum pondus ab hoc encomio accipit. Non homines, sed mores reprehendere ausus sum: sed quia exacta & veritas & severitas offendit, personâ sumpsi, & sub imagine vitia risi. Quantum nos peccamus, Cimmerii luunt; & extra viventium pænè fines Lvxvs vapulat. Quæ Epistola fuit, Satira est; & in Comi regno omnem exprimere lasciviam stilius potuit.

Etiam

Etiam PHAGESIPOSIA inſcripſi, & SOMNIVM eſſe volui. atque in hoc videbis, quicquid Epiftola habuit; imò quicquid ruborem ambitioſe intemperantiæ poteſt incutere. Itaque ut legas rogo: exemplar enim hîc habes, & ſimul hunc animum Amplitudini tuæ devotum. Vale. Lovanii, Poſtridie Eidus Novembris.  
∞. IOC. XI.

EPISTOLA XLVIII. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVVIERIO, V. N.

& Amico.

**C**AVE, cave: etiam moleſtus tibi prolixiffimis ero Litteris, ut oſtendam, me ſubtrahere Palæſtræ poſſe, quod Amicis impendam. Tu viciffim cura, ut frequentior Urbem incolas, & in alios nunc deinceps alas reſignes. Sed obſecro, cùm proficiſceris, umbram aliquam tuam domi linquis & habes, quæ Litteras meas excipiat? lepidè mehercle. aut ſcriptionem vis umbram eſſe, quæ à meo calamo errores tuos ſequatur? Videris nuſquam habitare velle, qui ſermones meos quocumque trahis. Sed ô infauſta & triſtia, quæ nuncias! Tantum Virum in tam gravi verſari periculo? Verè, verè, humanæ cogitationes & querelæ divinum decretum non impediunt. Eſſi Princeps, homo ille tamen; in maximâ Fortunâ majorem etiam Naturam experturus. Mori non poteſt, niſi ut multorum vota impediat: & mori poteſt, qui vitæ hiemem gravèſque annos ingreſſus. Mea conſilia curæ amicis aliis erunt, & Deo. Sed vicem SANDERII noſtri doleo, quem in ferventi rerum ſpe unicum illud & ſtabile, ut  
vide-



videbatur, fulcrum destituit. Litteras igitur avidè exspecto, ut sciam, quid de re totâ sit. Virtutum & Viti-  
 orum ille Libellus parvus est. quia tamen tam uti-  
 liter scriptus, potuit in scholâ meâ proponi, ut expli-  
 caretur. PALÆSTRA BONÆ MENTIS si prodeat, multo-  
 rum desiderio satisfiet. Liber magnus satis & augu-  
 stus erit, ut PRINCIPI inscribatur: & hoc patrocini-  
 o opus, ut semel extinguiam perversum quorundam affe-  
 ctum, qui Palæstram arrodunt. Hi illi, quibus placere  
 non potui, si Virtutem docerem: illi, qui Virtutem  
 omnem & Bonam Mentem à Litteris separant: illi, qui  
 PALÆSTRAM meam, *Perniciem juventutis esse*, audent ef-  
 ferre. Sed nonne cum injuriâ meâ, imò Principis? Ta-  
 les verò homines sunt; imò tales. sed parco. Biduo isto  
 in Aspero colle ego, uxor, & quinque filioli fuimus;  
 vota pro tuâ quoque salute diximus. Quid etiam? no-  
 lo scribere: loquar. Veni igitur, & vale.

## EPISTOLA XLIX.

PETRO ROSÆO suo S. D.

**A**Mo, ita me Deus, elegantiam istam, & candore-  
 rem. Ita Litteras scribis, quasi debeas. At meum  
 hoc erat: & nonne promiseram? vel hoc fine, uti  
 provocarem. Nam tuâ me familiaritate capi, scire  
 debes, id est, indole, qualem in paucis profectò inve-  
 niam. De Consobri-  
 no (fateor festinationis culpam) exciderat. Illum verò amicitiam meam ambire? Hem!  
 & suis virtutibus, & meæ injuriam modestiæ facit: si  
 tamen injuria ulla in Amoris hoc tribunali. Rescribo  
 igitur, sed breviter: tu uberrimum affectum meum  
 explicas; imò ipse admitte. Nam inter paucos amare

H

te

te pergam, consobrinum tuum colere: ad quem exemplar COMI, si non viderit, aut non habeat, mittere velim. Vale. Lovanii, XII. Kal. Octob. ∞. Ioc. viii. Scribere cœpimus: bene est; commercium hoc alemus.

EPISTOLA L. *Gandavum.*

CAROLO TORRIO, *jam suo* S. D.

**I**GNOTVS esse non potes, qui sic scribis; nec alienus, qui sic amas. Ut stilum, ita pectus tuum video, purum utrumque, & sic tamen fœcundum. Ingenii & simul animi tui præstantiam eadem epistola ostendit; verâ imagine TORRIVM expressum. Sed nec ego ignotus tibi, quem sic describis; aut alienus, quem sic amas, fidem suavissimi interpretis secutus. Quantum BVRGVNDIO meo debeo, qui & nuper HAVRÆI præclarum nomen, & nunc tuum famæ atque felicitati meæ adjecit! Vester ille favor hanc manum concitat: & cùm tam bonis placeam, pœnitere me laborum non debet. Multum mehercle Scriptis meis consecutus sum: ut æmulos spernerem, amicos inveni. multum moribus: ut auderem bonus esse, laudatus sum. Pergam utrisque, sapere, quemadmodum vivendum est; vivere, quemadmodum sapiendum. Perges tu quoque non scribere tantùm, qui ignotus esse non potuisti; sed amare, qui nec esse alienus. Vale. Lovanii, Pridie Eid. Novemb. ∞. Ioc. xi.



EPISTOLA LI. *Bruxellam.*RHETORIBVS COLLEGII  
AVGVSTINIANI.

**D**ELECTAVIT me munus vestrum, facundi Iuvenes: imò in admirationem dedit. Sic vos scribere! & ad me! Ornatum ivistis vario ingenio, liquidòq; affectu meum nomen: ingenium affectu, affectum ingenio demonstrastis. Quid ni utrumque amplectar? Fovere velim, & hoc agere, ut amare sic me, Bonamque simul Suadam pergatis. Sed pergetis, boni in primis erga eos, qui industriâ & doctrinâ suâ bonos vos faciunt, & ad geminum Virtutis Honorisque limen paullatim ducunt. Vberem studiorum fructum sperare poteritis his Magistris; imò ab his initiis,

*Eloquium ac famam Demosthenis, aut Ciceronis.*

Etiâ hodie rostra, comitia, tribunalia sunt: in foro, atque etiâ templo Facundiæ Sacra, in curiâ & in castris. Alios infula, alios purpura expectat, alios latus-clavus: ex istis scholis & certaminibus, ad Reipublicæ & Ecclesiæ munia itur. Sed majores artes scientiæque mox jungendæ sunt, in publico Studiorum hoc Athenæo, velut luce. Huc ibitis, me addictum studiis vestris experiemini, imò votis. Valete. Panegyricum istum meum Benevolentiæ signum accipite, & ad Eloquentiam stimulum. Lovanii, VII. Eidus Martii.  
∞. LOC. IX. R. P. DAELHEMIO, Præfecto studiorum, tantum tribuetis, quantum à bonis artibus expectatis. Fœcundus in Directores amor est: efficit, ut indoctus esse non possit, qui sic amat; dignus Litteris, qui sic eruditur.

## EPISTOLA LII.

CAROLO DVCI CROYACO & ARSCHOTANO,  
*Præfetto Finantiarum.*

QUANTVM benignissimis tuis Litteris debeam, Doctissime PRINCEPS, reapse testari jam malo, quàm verbis promittere. Ac sanè, quia magnitudinem tuam ad hanc ingenii mei paupertatem demittis, videor præstare posse, quod Historiis plerisque nostræ ætatis opponam. Bene spero; affectum conatus sequetur: & quia te describam, pretium pondusque oratio capiet. In extero & Martiali duntaxat homine deprædicando (quod & nuper indicavi) expertus sum, quantum tuæ virtutes merentur. A stellâ ad Solem ibo; & cùm maximè illustrabitur argumento stilus, caligabit. Sed ut deficiat, ipsum hoc lumen non finet. Tuis radiis & calefio & accendor, Magne PRINCEPS; ac jam colligere atque præparare rerum capita velim, nequa industriam mora retardet. O suave mihi aliquando, descripsisse Principem, cui placui! imò descripsisse, quem omnis ætas admirabitur! Hoc nexu me tuum facio, hoc labore ingenium tibi meum confesco: Historiam daturus sum; sed quam ipse legas: ut si placeam, videaris posteritati tuæ vivus interesse; si displiceam, defectus meos iudicii divinitate corrigas. Confido: non infra opinionem hominum stilus iste meus erit: & tanquam placiturus, audebit prisca seculi industriam imitari. Neque jam exspecto, ut MEDICÆVM absolvam: satis est, parasse duos libros, qui publicè legantur, & in manus tuas veniant. Interea novo huic ædificio, ligna, lapides, calcem instru-



struam. A te, & à tuis discam, quæ domi, quæ foris; in Sago, in Togâ gesseris. Vberimus campus est. Dicta quoque, & Apophthegmata inferenda sunt, & ea omnia, quæ Virtutum tuarum triumphum sequuntur. Varii varia observârint: & ab omnibus semina ego scriptiõnis capiam. Discere tamẽ ab iis potissimum velim, quos ipse constitues; & his familiaris esse, nequid effugere diligentiam meam possit. Non protollo vota: promittere, longum est: præstare, ut dixi, cupio, quod rogo; & ostendere omnibus, quo cultu, & quo ardore Phœnicem Principum venerer. Ergo hæc epistolæ hujus summa est, ut ordiar: & circa collectionem rerum primus labor versabitur. In MEDICÆO aliquam certè historiæ tuæ velut imaginem videbis. Vt me tuum censeas, habeas, foveas ô Princeps, *atavis edite Regibus*, rogo. Æternitati tuæ quicquid possum, quicquid sum, devoveo. Lovanii, Postridie Eidus Novembris.

∞. IOC. XI.

EPISTOLA LIII. *Venlonam.*

HENRICO PUTEANO, *Cognato suo,*  
*E Magistratu Venloniano.*

**P**OST optimi Parentis mei mortem, Cognate amicissime, desiderium fuit, ex urbe & gente nostrâ Virum eligere, quem ceu Parentem colerem, rerumque mearum velut fulcrum haberem, & solatium doloris. Tu unus occurristi, qui ut in urbe cum auctoritate versaris, ita familiæ Puteanicæ columen existis; qui cùm Litterarum prudentiæque ornamentis subsidiisque instructus sis, intelligis potissimum, & quantum amiserim, & quâ ope, quove solatio indigeam.

H 3

Parent-

Parentem cùm dico, omnia dico: hunc amisi. Te cùm dico, omnia iterum dico: facies, ut nihil amisisse videar. Eris igitur ille tu, Cognate optime, si permittis, quem in lætis pariter adversisq̃ue respiciam, à cujus consilio auxilióque cogitationes, res, & vota mea pendeant. Ego etiam ille ero, qui tantum tibi delaturus sum, quantum Parenti debui; qui amicitiam, quæ cum cive colitur, bonam; quæ cum propinquo, sanctam existimat. Actametsi hæctenus hic in me affectus fuit, latuisse ac frixisse videatur, quia non eluxit. Exfertis igitur officiorum signis, ostendam, quantum animo voluerim: cùm omnia faciam, indicabo quantum merearis. Plura non addo: constitui enim coràm alloquio supplere, quicquid Epistolâ aut majus, aut etiam melius est. Auspicium arctioris necessitudinis hoc esse volui, & indicium profusissimæ voluntatis. Ut sic interpreteris, & me tuum animo complectaris, per commune te nomen, & familiæ Genium rogo. Vale. Lovanii, vi. Eid. Iulii. ∞. loc. xi.

EPISTOLA LIV. *Bruxellam.*

IACOBO ROBERTIO *suo.*

**S**CRPTIONIS auspiciam placuit, stilo & argumento bonum. Amorem mei exprimis, & amoris causam; animo certè meo, non auribus modò gratam. Quid enim libentiùs audiam, quàm contubernium tibi meum placuisse? Sed tu quoque apud me esse adhuc videberis, si à studiis & Bonâ Mente non recesseris. Vbique locorum & terrarum Musæ habitant: ut colas igitur rogo, & optimis semper rebus ingenium occupes. Morum actionumque regula Honestas sit: hæc



hæc ornatam omnem vitam reddit. Quàm prompta virtutis doctrinæque subsidia habeas, simul cogita. Dedit Natura ingenium, Fortuna opes: ampliùs exigis? exemplum Pater, quod sequaris. Paucis, mihi crede, tam feliciter hæc contingunt; qui tamen cum ærumnâ suâ & egestate luctari malunt, quàm animi cultum non assequi; miseri esse, quàm indocti. Sed tuos labores voluptas securitâsque comitantur: si rectè examinas, labores non sunt; per amœna potes scandere. Nunc paullatim ad severiorem vitam te anni ducunt; & florem hunc ætatis vel cum gaudio respicias, si rectè impenderis; vel cum dolore, si prodegeris. Tamquam è portu solvas, fluctus & tempestates invenies; cùm inter homines, curas, negotia vives, litterarum illud otium, & PVTEANVM tuum cogitabis. tum certè in pretio adhortationes meæ, Dissertationes, Lectiones, Schola & Palæstra erunt: tum quem Doctorem tuum nominas, affectu Parentem fuisse dices: atque talem deinceps me quoque experieris. Ergo ama, qui te amat; & rectè age, ut te semper meum dicam. Bruxellam venire cupio, ut te videam etiam, priusquam abeas, & complectar. Patri matrique salutem nuncia, & placere perge. Lovanii, v. Eid. Quinc.  
∞. Ioc. xi.

EPISTOLA LV. *Lugdunum Bat.*

DANIELI HEINSIO, V.C.

*Seculi Phœbo.*

**M**VLTVM amat, qui & imaginem æstimat: amat & ille, qui eandem mittit. Dare me ipsum volui; sed quia tu quoque sic interpretaris, fateor me nihil

nihil libentiùs dedisse. Nam ut suave mihi, in candidissimo animo tuo esse: sic in oculis, gloriosum. Quoties pictam illam umbram mei adspicies, spirare in umbrâ ipse videbor. Te imago etiam ista colet, & quantum PVTEANVS HEINSIVM amet, loquetur. Atque utinam vultum felicior expressisset manus! nunc humanitate tuâ opus, ut quantum ipsum quidem me desideras, tantum ignoscas pictori. Senecam tuum percurri, & tuum jure esse acclamavi: ingeniosa omnia, erudita, exacta, quæ notas, judicas, emendas. Et hanc laudem Viri omnes boni doctique tibi adscribent. Legi quoque Orationem De Coniungendis Græcorum linguâ & Disciplinis, in quâ ut doctrinam facundiâque vehementer probo; ita excitare juventutem audeo, ut tua signa, spreto ævi exemplo, sequatur. Nam nisi sic sapimus, omnes potiùs Litteræ relinquendæ sunt. Elegantissimum verò carmen quod annexum, aculeos habet; nostris hîc quoque, moribus opportunum. In titulo illi tantum deerant, qui ut in me fortassis videantur debacchari, Litteras omnes cõtemnunt. Hi Palæstræ, hi Bonæ Mentis infesti sunt; nec aliam habent causam, quàm quòd eruditionem ignorant. Ego verò in instituto meo pergo, Hermathenam effero: sapientiam Eloquentiæ jungo. Sed & ad ipsam Virtutem hortari juventutem cœpi. Sic quidem libellum itum *περὶ ἀρετῶν* *κακῶν* verti nuper, & jam explico, etiam Aristotelis nomine insignitum: atque indulgere populari errori volui, ut maximi Scriptoris personâ Auditores colligerem. In ipsâ scholâ tota hæc doctrina ad linguam suam redit, & uberrimâ deinde Dissertationum libertate vestitur. Vides conatû meum, ut faciliùs infelici versionis ignoscas. Vale. xvii. Kal. Iunii. ∞. Ioc. xi.

EPI.



EPISTOLA LVI. *Bruxellam.*

CAROLO MALINÆO, V. A.

*Aerarii Principum Præfidi.*

**V**ITAM IO. VINCENTII PINELLI ex Italiâ ad me Auctor misit, PAVLVS GVALDVVS, Vir insignis, & amicus meus; imò errores aliquot in ipso libro manu suâ correxit. Hoc munusculum ut accepi, ita ad te transfero; te, & Bibliothecâ tuâ dignum: quia imaginem hîc tuam invenies, id est Viri magni, probi & eruditi. PINELLVS quidem, extra controversiam, singularis fuit, Litterarum omnîsq; eruditionis apud Italos oraculum. Atque hujus ego etiam familiaritate, imò domo & mensâ usus sum, & ferè didici, quæ aliquod mihi nomen decûsq; paraverunt. FACVLAM meam, STIMVLVMQVE AVRELIVS adjungit; ut in eodem missu filii quoque affectum agnoscas. Hoc pium est, dare patri quod doctor conscripsit; & ostendere cujus ductu proficiat. Itaque geminum istud donum sic admittes, ut quod ego debeo, persolvisse filius videatur: quod ille dedit, profectum à Puteano censeas. Vale. Lovanii, XIII. Kalend. Julias. ∞. loc. x.

EPISTOLA LVII. *Antuerpiam.*

ANDREÆ SCHOTTO, V. C.

*Societatis IESV.*

**R**EPETO voces meas, mi Pater: Ne aliena fraus aut negligentia obnoxium me culpæ faceret, scripsi. Nam si credere huic debui, qui tranmis-

fas à te Litteras contendebat: accusare illum coactus  
 fui, qui nullas reddidit. Accusavi non amicum, quia  
 amico credidi: tu vide, cui Litteras deinceps tradas,  
 & quem amicum censeas; ne opera pariter & affectus  
 pereant. Ego, sive accepit, sive non accepit, homini  
 ignosco: & poterit sanè, ut verba tua locum habeant,  
 cum æqualibus suis contendere, qui & ignorare bonas  
 solent Litteras, & tamen nescio quâ stultitiâ intume-  
 scere. Nunc monitus, fortassis descendet in seipsum, &  
 modestiùs aget. BONÆ MENTIS nomen si quis accusat,  
 Palæstram nollet esse. Vt Litteras promoveam, earum  
 amorem doceo; ad Bonam Mentem, etiam oratori ne-  
 cessariam, juventutem nostram hortor. Publicâ orati-  
 one titulum hunc asserui, quem jam examinaverat Se-  
 renissimus PRINCEPS noster, & luculento Diplomate  
 confirmarat. Pulchrum mehercle: Boni Viri, quia rem  
 non possunt, nomen infectantur. Vin' dicam? aliquo  
 dignitatis loco Musarum esse & haberi studia, ægerri-  
 mē ferunt. Iam verò in solo Buslidiano, si Litteræ sunt,  
 florere non possunt: & postquam LIPSIVS docuit, ser-  
 pere ampliùs institutio non debet. Tale quoque sti-  
 pendium meum est: publicū, & à Principe Ordinibús-  
 que. Meminisse debeo, à quibus vocatus, in cuius lo-  
 cum ascriptus sum. conditionem meam in STIMVLO  
 LITTERARVM videris. Sed ut istuc redeam, nescio equi-  
 dem, cur Bonæ Mentis vocabulum offendere quem-  
 quam possit: Palladis aut Minervæ nemo accusaret;  
 hæc Bona Mens est: nemo Mercurii; & hic constitue-  
 re antiquitus Eloquentiam non potuit, nisi Minervæ  
 jungeretur. Hinc duplicem etiam sermonem veteres  
 constituerunt, τὸν προφορικόν, & τὸν ἐνδιὰστον: hunc in animo,  
 cùm nondum profertur; illum in ore, qui sine voce ab-  
 solvi



solvi non potest : & sic priorem Mercurius , posterior  
 rem Minerva exprimit. Sed de his plura publicè, ut se-  
 mel eos doceam , qui hæcenus non intelligunt, τὸν νοῦν  
 Sapientiæ partem esse, & à scientiâ atq; rectâ opinione  
 distingui. Quid malum ! placere & Nomen & Insti-  
 tutum hoc exteris, præsertim Italis; hîc esse, qui repre-  
 hendant ! Sperno hanc invidiam , & supero , cùm &  
 Cardinalis BORROMÆI Patroni mei iudicio , & Societatis  
 vestræ laudatissimo exemplo, videam, Theologi  
 laudem ab his Litteris perfici. Ad Ciceronem quod  
 attinet, & eum ego publicè hîc interpretor; Somnium  
 inquam Scipionis. In libello *περὶ ἀρετῶν καὶ κακιῶν* quid præ-  
 stem, alii iudicabunt: differentem me hic ipse audivit,  
 qui Litteras defert: audiverunt alii , qui cùm multa  
 scirent, aliquid tamè explicatione meâ consecuti sunt.  
 De Auctore non perfunctoriè disputavi. Aristotelem  
 non esse, facile mihi persuadeo: præscribi tamè ille de-  
 buit, ut tanto nomine audientiû industria aleretur. Si-  
 quid in ipsâ versione quod minùs placet , libenter in-  
 telligam. Inter Comites ἀφροσύνης est ἀκρασία: an rectè *In-*  
*temperies*? Quid si tamen ἀκρισία? Sed & alia sunt. Finem  
 libelli è Stobæo supplevi. Mea omnia recensere & ex-  
 polire constitui, & in unum corpus redigere. Videbis  
 Epistolica, Oratoria, Historica, Philologica, Philoso-  
 phica. Flores ἡμερόβιοι, (permitte ut sic loquar) Arborea  
 æternæ fient, & *canescent seclis innumerabilibus*. Auspicia  
 PALÆSTRÆ ante omnia videbis. COMVS denuo prodiit,  
 longè auctior. Tertiam editionem cum NOTIS, quæ nu-  
 per præmissæ erant , mox parabimus. Accedent duò  
 Nannii somnia, in quibus si tam accuratus & exactus  
 stilo Vir ille fuisset, quàm lepidus & ingeniosus existi-  
 tit, poterat me quidem à tali genere scriptionis abster-  
 rere.

rere. Sed nunc laborem meum non damno, etsi menstruum. Habeo ejusdem ad Mariam Reginam Angliæ, De Regni Religionisque restitutione Gratulationem, admodum prolixam, sed in fine mutilam: dignam tamen, quæ vel sic edatur. De Cornelii Valerii Orationibus & præfationibus, non adhuc video quid speres. Adagia Græcorum tuo sanè ingenio & industriâ digna erant: prodeant, & publicè profint. Vale. Lovanii, v. Non. Maii, ∞. Ioc. xi.

## EPISTOLA LVIII.

SENATVI BONONIENSI S.D.

**A**RDOR ille vester in Litteras, Viri Amplissimi, etsi manifestus, diffusum tamen hac nunc Famâ itis, quòd diutius silere illud Romanæ Eloquentiæ pulpitem nolulistis. Novalis ager respirare anni unius, ut ita dicam, feriis solet: & vester ille Latinitatis, à discessu Clarissimi Titu pari plus minus spatium quievit, non fertilitatis defectu, sed quia quæ sitis qui excoleret. Audio viros doctos operam industriamque suam obtulisse: me verò (benignitatis consensum agnosco) totius ordinis suffragiis designatū electūmq; huic muneri, quod ambivisse etiam honor sit. Sanè non sine beneficio tam luculentum de me iudicium existimo; sed quod spernere videar, nisi acceptem. Ergo animo vester sum; stilo & voce cupio esse, & conditione uti. Quid ni? in eum locum venturus, qui clarus longâ & vetustâ nobilium serie Professorum: vestro auspicio docturus scripturusque, qui meliorum scientiarum atque artium, ut patroni summi, ita & cultores

res



res auditis. Ipsa Academia, quieta, composita, florens, & robusto illo senio suo non venerabilis tantum, sed religiosa. Vrbs magna, ornata, amœna, & quam benigna rerum omnium copia ditavit. Cives denique non minus exemplo, quam regimine vestro boni humanique. Prorsus qualem mente formare mihi, Musisquæ sedem velim, reperio; & in quâ præstantissimi Viri docendo scribendoque excelluerunt. Non me Patriæ pœnitet, aut muneris, quo apud Lovanienses fungor: sed vestræ me Genio scholæ capi, hoc profiteor. Vivere in Belgicâ cœpi, in Italiâ innotescere: ubi natus, hominis officia orsus sum; ubi provectus, civis. Famæ auspicia, & laborum meorum florem Italiæ debeo: quid ni & fructum? Maturitas ista sinum vestrum ambit; Academiam velut Horreum meæ fruges. Hic condi debent, ut in famam promantur. Condar ipse, cum Parca jusserit; & quam Patriam fors negavit, denascendo faciam, & emortuali die. Quid attrinet dicere? Latinas Litteras Artésque præscâ origine Gens & Regio sibi vestra vindicant: Transalpini adoptârunt. Iam Belgis etsi familiares Musæ, tamen advenæ; & quia non natæ in nostro hoc solo, peregrinantur. Musarum igitur conditionem, meam in parte puto; & quia Socrati Mundanum esse licuit, eam mihi Patriam scribo, quam ipsæ profitentur. Sanè in hoc saltem dissidere à LIPSIÒ mihi liceat, & diversum consilium sequi. ille vocatus rogatusque, liberalitate vestrà, cum potuit, usus non est: Belgicam ante habuit. Ego utar, sic possim; nec propterea Patriam videbor aspernari. Non i-vit LIPSIVS: vos tamen insignem illum in litteras affectum servastis: imò quia arbor translata non est, plantam nunc adscisciti, & imbuitis felicitatis quadam au-  
 râ.

râ. Ergo, ut dixi, venire paratus sum; &, quia tam honorificè de me statuistis, sedem studiorum fortunarumque transferre. Quod felix faustumque sit, Decretum, quo vocer, exspectabo; & hæc una cogitatio mea erit, proficisci. Valete Amplissimi Viri, feliciter vivite & regite; veteres illas Litteras jure vestras fovete & fulcite, quibus clara olim Italia fuit, & floruit. Lovanii, v. Kal. April. ∞. IƆC. VIII.

## EPISTOLA LIX.

NICOLAO DAMANTIO V.A.

*Brabantie Cancellario.*

**I**NTERPELLARE humanitatem tuam audeo, Amplissime Vir, in negotio alieno quidem; sed quod & Litteras & Academiam nostram spectat. In difficultate versari Io. CHRISTOPHORVM FLAVIVM Typographum, ob editionem nescio cujus libelli, periculum indicavit, aut periculi rumor. Accuso culpam; & benignitatem tuam rogo obtestorque, ut qui peccavit, possit veniam impetrare. Si rem inspicimus, plus peccavit Auctor, quisquis ille sit, quam Impressor; qui simplicissimâ innocentiam satis putavit, Encaniorum velut nugas, à Censore permissas excudere ac divendere. Delictum suum ex infortunio didicit. Postquam officinam instituit, undique invidiam & malevolentiam irritavit tela: quia prodesse & urbi & Academiae videbatur posse, dignus habitus, qui damno maclaretur. Occasionem infaustissimus ille libellus dedit. Hoc egerunt aliqui, ut hominem obruerent, & impingerent quoque quantum Scriptor deliquisset. Hanc flammam auxere alii, qui nimis facile ad se trahunt aculeum

um



um ludentis, an lædentis stili? Sed quid consecuturi, si mitissimum animum tuum severitate exasperent? Carebimus Typographo, si esse hic non poterit: privabimur lumine, quod tenebris nostris inferre Vir iste destinavit. Vir inquam, & laude ob egregium conatum dignus. Primò, Probus, Ingenuus, Candidus est: & magnus etiam esse potuit, nisi pluris Religionem, quàm vitæ commoda fecisset. Deinde doctus est, Græcè & Latinè peritus; ut ad Manutiorum, aut Stephanorum gloriam possit adspirare: imò Virum nobis eum restituere, qui non in Mercurii, sed Minervæ urbe æternos librorum thesauros cudat. Ad Academiæ famam, in primis celebris Typographia facit: & talem habere hæctenus non potuimus: postquam cœpimus, nostra nobis bona invidemus. Denique, hic ille Vir est, qui sedem Antuerpiâ ad nos transtulit, qui generoso ausu sumptus fecit: qui quantum præstare posset, & vellet, simul ostendit. Respice igitur & famam nostræ Scholæ & utilitatem, lenique vultu hanc scriptionem admitte. Pulcherrimi & maximi isti conatus, non maximum delictum delere poterunt, aut vincere, si componantur. Iam ego quoque uti his typis constitueram, & animatus eram, scribere multa & proferre. Iam nitorem sperabam, jam magnificentiam; tales inquam typos, qui & subire oculos tuos non erubescerent. Rogo igitur, ut absolvere & liberare Typographum velis, paratum, in omnibus non accuratum modò esse, sed religiosum. Suspende, imò tolle pœnam omnem: solius auctoritatis tuæ terror culpam deinceps proscribet. Delinquere facilè potuit, qui novus fuit: bonus erit, si dignus humanitate tuâ videbitur: utilis Reipublicæ, si invidiam vincet. PALÆSTRAM meam BONÆ MENTIS ei

tra-

tradideram, ut excuderet, PRINCIPII offerendam : ea nunc in discrimen venit, & infortunium Typographi sequitur. Videbit lucem, si felix & liber ille erit: obruetur tenebris, si miser ille, & humanitate tuâ destitutus. Ergo iterum & flagranter humanitatem tuam imploro. Scient omnes, tuo beneficio Typos & Litteras Lovanii florere. Vale, & vive. Postri. Eid. Septemb. ∞. IOC. XI.

## EPISTOLA LX.

Lovanii.

FREDERICO, ET ALEXANDRO CASIMIRO,  
SAPIEHIS F. F. *Palatinidis VVitebscensibus.*

**V**T mea legatis, Illustres Adolescentes, aliena commendo: ut antiqua ametis, ad nova duco. PHILIPPI BEROALDI, Viri Clarissimi nomen insolens vobis esse non potest, aut doctrina ignota. Scripsit varia, nec invenusta, si ferre possumus, quod vetustati renata iterum Latinitas adjecit. Atque hic, quem videtis, Eloquentiæ Ludus, primum stilo tolerabilis, deinde argumento curiosus, deniq; exemplo utilis est. Si cuncta expendimus, amplius erit quod placere possit, quàm quod odiosa severitas condemnare. In umbratili pulvere, & ficto iudicio contendunt Boni, contendunt Mali. Boni, Quisnam optimus? Orator, Philosophus, Medicus. Mali, Quisnam pessimus? Scortator, Aleator, Ebriosus. Legite, ut laudetis Bonos; imò legite, ut damnetis Malos. In laudatis illis, quantum Orator præstet, ipsa oratio aperiet: sed quanta res sit Eloquentia, velut in imagine cernetis. Vos quidem operam huic datis, si indolem ingeniumque spectem, digni,



digni, qui Eloquentissimi fitis; qui, quod familiæ vestræ solenne, inter Patriæ Proceres vitâ & dignitate, dictis & factis aliquando emineatis. Bene sentire & facere, omnium est; bene loqui, magnorum: sed bene nemo loquetur, nisi bene sentiat atq; faciat. Ita quod omnes debent, studio & industriâ sectamini, Virtutem discitis; quod magni debent, generoso conatu quaritis, Eloquentiam hauritis: & hanc utramque in Palæstrâ meâ BONÆ MENTIS. Quid dicam? profecistis, ô Illustres Adolescentes, qui ut PVTEANVM audiretis, Lovaniense Athenæum æstimastis. Sic in eodem porro agite, ut plures, & ipsi aliquando Posterii vestri æstiment: sic me audite, ut amare nunquam desinatis. Felix ero, si vos Boni, si Docti, si Eloquentes: & pluribus videbor profuisse, si vos tales reddidero. Implete igitur vota mea, & quam in Patriâ speratis gloriam nominis, hîc incipite: magni mox futuri, si jam non parvi; nunquam immaturi, si in bonâ hac ætate Viri. Valet, Virtute, Doctrinâ, Eloquentiâ crescite, & mei este in omni vitâ & fortunâ. Lovanii, XVI. Kal. Februarii, ∞. LCC. XII.

EPISTOLA LXI. *Antuerpiam.*

IOANNI WOVERIO, V. C. &amp; Amico.

**P**VDET scribere, mi WOVERI; sed apud te licet. Civis, an hospes venerim, nondum liquet. Et ego tamen properabam, tamquam in Patriæ sinum. Heu, rerum faciem! Bonæ Litteræ oneri hominibus quibusdam sunt: & sic illi, qui Litteras profitentur. Nam tot molestiis, tot circumitionibus extorquere nondum potui, ut quod absens accepi munus, præsens

K

im-

impetrarem. Nimum etiam non nemini stipendium  
 visum: ac serio actitatum, ut ad semissem summa mi-  
 nueretur. Quid igitur? adeo difficile erit, post LIPSI-  
 VM PVTEANVM docere? aut fortassis minor ego, quia  
 minoris alius potuit conducì? Magno & robusto sto-  
 macho hæc concoquo: sed nisi spes in PRINCIPLE sit, ad  
 quem remittor, & quem salutavi nudius tertius, exuam  
 affectum Patriæ, & apud ignotos Fortunæ auxilia pro-  
 vocem. Sed tu, mi WOVERI, ne commoveare: meliu-  
 scule fortassis erit, cum maximè fatum sæviet. ego mi-  
 hi consto, te & honesta amo, nunquam deferturus.  
 Hoc etiam cogito, ab arduis initiis planam viam ster-  
 ni ad felicitatem. Hac fruire, & adspirantem me ama.  
 Quicquid fiet, statim scribam. Sed obsecro, annon in-  
 signem Sapientiæ Palæstram ingressus sum? Exerce-  
 bor. In hoc quoque æstu LAVDATIONEM IUVENTVTIS  
 perscripsi. Liber est, & legi debet, ut sciant omnes, ci-  
 vis, an hospes haberi debeam: & elegantioribus legi  
 typis, nequid in ornandâ Patriâ videar omisisse. Mea  
 illa missa Lovanium gaudeo: an accepta, nondum au-  
 divi. Salve cum suavissimâ conjugè. Bruxellæ, ubi jam  
 nimium hæreo. GASPARVM meum salvere jubeo, & pin-  
 gere. Sed heus, A PRINCIPLE humanissimè exceptus  
 sum. Pauca verba feci, & mox, latiniùs nescio, an be-  
 nigniùs, respondit: imò, ut affectum ostenderet, ad fa-  
 miliarem quoque sermonem linguæ majestatem de-  
 misit. De Comite FONTANO, de rebus Mediolanensi-  
 bus, deniq; de itinere nostro sciscitatus est. Quæ sum-  
 ma est, præsidium & auxilium addixit. Salutatiuncu-  
 lam ipsam legere si cupis, hæc fuit, & his omnino ver-  
 bis dicta.

AD



AD SERENISSIMUM PRINCIPEM

ALBERTVM

ARCHIDUCEM AVSTRIÆ, &amp;c.

Allocutio.

**S**ERENISSIME PRINCEPS, *Post longum, molestum, & periculofum iter, tandem adsum, ut gratias libem, & Genium Aeternitatis tue venerer. Magnum beneficium est, siquis Patriam debet: ego debeo. eò etiam magis, quòd in vicem vocémque IVSTI LIPSI vocatus sum, & in vestigia positus, quæ tantus ille Vir doctrinâ, prudentiâ, probitate prestit. Quid dicam? Voto honoris magnitudinem exprimam: DEVS FAVEAT! Operam ego dabo, ut quia in oculis omnium victurus sum, bonum Patria Civem, Munus Professorem; in Patriâ & Munere bonum subditum me PRINCEPS meus habeat. Origine & gente Belgæ sum, sed sede novus; ideòque Patrocinio opus, ne inter meos, & in meo solo peregrinari videar. favore opus, ut in novâ jam Scholâ felix conatus sit, fructumque proferat. Vt herba exotica, & in frigidiores oras translata, sole & curâ fovendi debent: ita Serenissimum Celsitudinis tue radium imploro, ut stilus & ingenium bono publico incalescant. Vtrumque Famæ & Gloriæ tuæ devoveo, POTENTISSIME PRINCEPS, & felicitatem precor.*

EPISTOLA LXII. *Bruxellam.*

CAROLO MALINÆO, V. A.

*Aerarii Brabantici Præsidi.*

**D**E invaletudine cum dolore intellexi. Sed iter, frigus, &

*..... tonantis annus hibernus Iovis,*

K 2

hanc

hanc nubeculam dederint, & fortassis jam depulsam. Voveo equidem; & simul te rogo, hanc auram & Honoram, virésque corpusculi tui expendas. Ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμώτατον. PRINCEPS quomodo DISSERTATIONEM meam DE INDVCHIS acceperit, intelligere habed: tum de Amico quem commendaveram, quid sperare debeam. Patriæ & Religionis causâ sollicitus sum, & hoc statu rerum gratulari Sugambris meis ejusmodi sanè Virum cupiam, qui vitâ & doctrinâ proficit. Hic talis: Probus est, prudens est,

----- *fandi que opibus sublimis abundat.*

Quid opus commendare? ingenium animumq; ejus nôsti, vel isto etiam munere majora. Hoc te rogo igitur, ut quid in re aut spe sit, statim intelligam. De Elogiis cogitavi, ac videntur concinna, imò plena esse, quæ SCRIVERIVS edidit. Iudicabis. cras enim ipsum librum mittam. De Filio bene equidem spero. Scintillas video, & jam ignem exardescentem. Ego, quas possum, faces subjiciam; dignum doctrinâ ingenium ad gloriam stimulabo. Vale Amplissime Vir, & meliores Litteras publicè promove, quas immensum amas. Lovanii, XVIII. Kal. Januarii. ∞. Ioc. IX.

## EPISTOLA LXIII. *Gandarum.*

IOANNI HAVRÆO,  
*Toparchæ De Valle S. D.*

QVANTI Amicitiam tuam faciam, Vir Nobilis, faciliùs sentio, quàm exprimo. Pauci aut isto animo, aut isto ingenio sunt, ut in sterili Musarum contubernio quærant, quem amare velint. Splendor

dor



dor & Fortuna passim affectum conciliant, & quicquid durare non potest. Sic ut nullos amicos habeamus, magnos facimus: fallaci, ut sic dicam, luci spes & vota committuntur. Amare, quem despicias, vile est; nec Litteræ placent, nisi possis despiciere. Quotus igitur quisque humilitatem nostram ambit, ut æstimet? Siquid etiam in stirpe ac nomine jactare possumus, Litterarum tractatione videmur extinguere; quasi turpe, ingenio niti, nequid Majoribus aut divitiis debeas. Bene est: Virum nactus sum, qui quod ago, in me amat; qui mores meos, ingenium, & stipatum aliquem pectore censum generoso affectu complectitur. Reddo vicem, Vir Nobilis, nec reddo tamen: te amo, sed te. nam cum omnia tua cogar admirari, quippe rara & sublimia; in solum tamen animum, & quæ animi sunt, ardorem meum figo. Sic æternus es, & Amicitia quoque nostra erit. Vale. Lovanii, Prid. Eid. Novemb. ∞. Ioc. xi.

EPISTOLA LXIV. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVVIERIO V. N. & Amico.

**A**LTERAM quoque pyxidem, velut nucem cum aureo nucleo accepi. atque iste torquis planè satisfecit oculis, etiam nimiùm curiosis. Si cum Gallo ego pugnem, talia velim spolia legere, atque nomen invenire. Omnino hæc elegantia TORQUATVM faciat: sed & me ad angustias redigat, si in filiâ quoque mater superba sit, & videre ornamenta velit, quæ gerit. Alia tempora alia consilia suggerent: & fortassis melior Fortuna res quandoque nostras grandibit, ut cum Plauto dicam: aut certè melior animus aliquid cupi-

ditati detrahet. Sic mortales nugamur : metallum ad usum effossum, in luxuriam vertimus ; magni scilicet, si divitias ostentamus. Pretii magnitudine movebar nonnihil : sed cogitare debeo , tantum è censu parsi- moniæ accessisse. Hodie Oratiunculã in Collegio Tri- lingui habui , *De Doctrinã Aenigmaticã* : atq; sic in Gri- phum Ausonii præfari volui. Quicquid dixi, exscribet meus à-manu, & mox habebis. Sed de *Puteali Libonis*, & *De Risu* quid judicas ? etiam liberè damnare potes, quicquid displicet. FLAVIVS occupatissimus hodie est, & rogat, ne silentium imputes. Insigniter hominem obstrinxeris , si quamprimum WYTVLIETIVM conve- nias. Fuère enim, qui *Apicio* remoram objecerunt. Tan- tum potuère certè, ut mulierculam, quæ istuc missa e- rat, ut exemplaria divenderet, Lovanium repulerint. Scilicet pretium nimium erat. Ergo sciri debet , an ejusmodi decretum à Consilio sit. De Comite SORANO mirum est & inopinatum: Homines, ut morimur ! be- ne bonis Manibus sit ! Tu vive, & vale. Lovanii, XIV. Kal. Mart. ∞. IOC. XII.

EPISTOLA LXV. *Dusseldorpium.*

CONRADO VANDER-HEGGEN V. A.  
*Illustrissimis Iulie Cliviaeque Principibus à Consiliis.*

**M**AXIMO ad te desiderio properabam Amplissi- me Vir & Cognate ; sed uxorem, liberos, lares duntaxat vidi. imò hospes fui, & exceptus. Mo- ram trahere per angustias temporis non licuit : & cum suavissima humanitas me conjugis tuæ invitaret , in- humanus ipse fui , & recessi. Complectar compendio sum-



summam excusationis : aberas, nec de reditu certa adhuc spes affulgebat. Quòd tamen ALEXANDER me subsecutus, tibi debeo : & ostendit profectò, quanti & amicitiam tuam & consilia debuerit facere. Nunc rogo etiam, ut familiæ causâ, & communis originis, hunc juvenem juves, opibus, & amicis destitutum. Iam aliquis esse cœpit, quia favore dignum æstimasti; & erit spero, si talem se præstabit, qualem æstimasti. Pollicetur optima, & edoctus vitæ non optimæ periculo, in libertatem vindicabit indolem, sapiétque. Tu ei pater fuisti, ut porrò ferres auxilium: promovisti, ut me quoque obstringeres. Vt mereatur, opto: commendare enim frustra velim, nisi mereatur. Quia militiæ munera perennia non sunt; ut nec munia: poterit ratione aliâ evehi, aut attolli saltem, ne fortunæ novercantis sordibus squalleat. Filiolum habet, & hunc respicio. Cogita Amplissime Cognate, & pro humanitate ac prudentiâ tuâ age. Aquisgranenses turbæ tuâ, ut speramus, operâ componentur. Deus faciet, te servabit, & Illustrissimos Principes, à quibus aut jam missus, aut mittendus es, longo & felici ævo donet. Venlonæ, VIII. Kal. Septemb. ∞. 100. XI. Vt te videam & complectar iterum, voveo.

EPISTOLA LXVI. *Mediolanum.*

RAPHAELI MONTORFANO suo S. D.

**A**B amore diligentia scriptionis nascitur, mi MONTORFANE. In te video: qui sic continuò affectus tui ad me signa transmittis; imò & alieni. Nonne ejusmodi SOSSAGI epistolium, in quo plurimus

mus ego quoque sum, ac propemodum pro argumento? Vidisse juvat. Imaginem MEDICÆI accepi, & ipso vultu excitatus sum. Libellos novos quos petis, jam mercatoribus configno. Sed meos hîc omnes reperire non potui: non omnes mittere, indecorum putavi. Scribam igitur Francofurtum, ut istinc accipias. De Publicano, mirum non fuit audire: jam tum, cùm adessem, in extremâ stare tegulâ dicebatur. Ergo quod facturus erat, fecit; suæ & alienæ fortasse miseriæ auctor. Pessimum hoc genus hominum, qui soli perire nesciunt: ut ædium murorumque maxima ruina est, si familia obruatur, & domicilium sepulchrum fiat. De Historiâ, non frustra addis: ita est, huc ducor, & in hac Palæstrâ, si otium adsit, videor utilis esse posse venienti mox ævo. Historiæ munus est, ut posteros doceat; Scriptoris, ut apud posteros vivat. Vivere mehercle suave, cùm publicè prodesse possis: gloriosum prodesse, etiam cùm vixeris. Memoriam aliquam relinquunt sui, quicumque stilo loquuntur; longissimam, qui res gestas enarrant. Nimirum vivunt cum rebus virisque quos complectuntur; nec deleri scribentis fama potest, nisi & Antiquitatis. Tu mihi crede, & hæc nostra Antiqua aliquando erunt, si noscenda proponemus: sed absque librorum & stili, ut ita dicam, testimonio, erunt, quasi aliquando non fuissent. Sic igitur cura nobis aliqua Posteritatis gerenda, ut exempla vitæ accipiant, & Majores suos discant, qui sequentur. Ego quod in me erit, faciam, & quod me facere Rex noster volet: stili velut tessera MEDICÆVS erit. Tu vale mi MONTORFANE, & amare perge, ut scribas: ignem fove, ut scintillas sentiam. Tuos saluto.

EPI.



EPISTOLA LXVII. *Mariamontium.*

PHILIPPO PRATIO, V. A.

*Consilio Sanctiori à Secretis.*

CVM & Dignitas tua & Virtus, Vir Amplissime, contendere videantur, utra præstet; dubito mehercle, majorem, an meliorem appellare debeam, quem humanissimum jam aliquoties expertus sum. Sic quia magnus es, verecundari scriptio hæc mea possit; quia bonus humanusque, audere. Vnde & in meo pectore certamen quoddam existit: retardat verecundia calamum, audacia concitat: scribere cupio, sed adhuc velut delibero & expendo. Quia tamen res nunc meæ sic cogunt, implorabo Humanitatis tuæ opem; & cui publicè debeo, privatim, quicquid spero, commendabo. Stipendii augmentum à Serenissimo PRINCIPE petii. Libellus aut missus aut mittendus à Duce ARSCHOTANO, qui tradi sibi à me postulavit, ut Senatui suo proponeret. Censuere omnes, honestam petitionem meam esse: quam ego tamen tanti faciam, quantum benignitas tua juvabit. Et juvabit scio. Multùm profectò Litteras bonasque amas Artes, & insigniter possides: & hîc Litterarum agitur causa: quas attollere pro dignitate non possum, nisi subsidia habeam: & ea, quia tuo auxilio paro, tibi jam debere incipio, quia sperare. Beneficium æstimabo, siquid ingenio aut stilo, aut etiam viribus Fortunæ possum. Certè publico monumento testatum reddam, studia mea & industriam à te provectam. Hoc enim Musarum munus est, celebrare viros, qui, ut verè magni sint, prodesse ingeniis fatagunt; ut verè boni, maximâ humanitate illustres vir-

L

tutes

tutes Famæ commendant. Gratus ero, & sic audacter nunc peto beneficium, quod tuo auxilio accepisse, gloriosum erit. Quicumque aut me nôrunt, aut aliquid conatibus meis in re Litterariâ tribuunt, auctorem te in parte felicitatis meæ suspicient: qui amant, venerari ubique & Dignitatem tuam pergent, in quâ bonus es; & Virtutem tuam, in quâ magnus es. Nam ut semel tranquilla nunc studia, aut inquieta habeam, ab eventu petitionis hujus pendet: ut intelligam professionis meæ labores placere, hoc augmentum efficiet. Sed cum causam cogito, & simul naturam tuam, admodû in me pronam; & tranquilla habebo studia, & labores placêbunt. Fac obsecro Amplissime Vir, & quia gratiâ apud PRINCIPEM vales, ostende in hac occasione, quantum sperare Litteræ possint. PALÆSTRAM BONAE MENTIS ante dies aliquot edidi, & PRINCIPI inscripsi: ut videas, quid Iuventutis & Patriæ causâ moliar, quibus conatibus coner promereri hoc ipsum quod peto, & quod sperare iussus sum; ad te quoq; exemplar mitto. Paro editionem novarum Epistolarum, in iis ut relucere nominis tui facem finas, ego rogo. Virtus tua & Dignitas hîc quoq; legentur, imò hîc contendent, utra præstet. Vale Amplissime Vir, & jam de PVTEANO planè tuo, omnia statue. Bruxellæ scripsi, inter Amicos, XIII. Kal. Novemb. ∞. IOC. XI.

Scripsi inquam, audax nescio, an verecundus: sic & Dignitas & Virtus & Humanitas tua certant, & me dubium faciunt. Imò dicam: scripsi & audax, & verecundus. audacem me res ipsa (nam de quiete agitur) verecundum natura mea reddit. Expressi quantum nolui: & tu facies quantum expressi.

EPI-



## EPISTOLA LXVIII.

FRANCISCO KINSCHOTIO, V. G.

*Finantiarum Graphiario.*

SUSPENDI responsum, imò gratiam pro tam benignâ operâ, quâ promovere PALÆSTRAM voluisti. Suspendi inquam, ne importunus essem. Nam & responsum visum fuisset iterum admonere, & gratia stimulare; sed memorem, sed currentem. Cur igitur nunc scribo? partim ne moneam, partim ut gratiam ipsam differam. Sic accipies: etsi tamen rogare vel maximè sic videor, ut quod cœpisti beneficium, perficias. Quid dicam, nescio. humanitas tua si permittit, rogo. Nam sine Diplomate & Numismate imperfecta res omnis est: quia nihil publicè adhuc possumus. Tum Arbitrarius dubio velut in munere versatur; electus, ut honorem istum expectet. Salutavit ipsum Amplissimū ROBIANVM, cùm hîc ille adesset nuper, Palæstra, Arbitro verba faciente: quod officium optimo & humanissimo Viro gratum fuisse, è luculentissimo ejus responso non vanè collegimus. Mitto nunc FACVLAM DISTINCTIONVM, quam Leges à me scriptæ exegerant. Inspice, si per negotia licet; & quæ infra eruditionem tuam sunt, animi duntaxat causâ perlege. Ad istud exemplum *De Gestibus* pariter mihi scribendum: sed si tu censes, cujus ego iudicium tanti facio, ut si negligam, agere improbè videar. LAVDATIONEM IUVENTVTIS adhuc promitto, ne jam DISTINCTIONES impediam. Vale, & salve cum suavissimâ conjugè, & universo Lare. Lovanii, XIII. Kal. Maii. ∞. IOC. X.

## EPISTOLA LXIX.

GUIDO BENTIVOLIO, *Nuncio Apostolico,*  
& *Archiepiscopo Rhodiensi.*

**L**IBRVM, quia dare coràm non licuit, Illustrissime & Reverendissime DOMINE, mitto: neq; tamè ille post iter molestus erit, qui onerare in itinere potuit. PALÆSTRA BONÆ MENTIS est, sive Eloquentiæ atque Sapientiæ quædam Schola. Tuo verò accuratissimo iudicio probari velim, quicquid institui. Nam de his Litteris, & simul conatu meo optimè statuere tu potes; qui ore, ingenio, animo ostendis, facundiam, eruditionem, Virtutem, rerum omnium pulcherrima quædam lumina & ornamenta esse. Resplendes his omnibus, & in caligine quâdam temporum clarum exferis nomen; cui cardines aliquando mundi, totusque adedò axis incumbat. Atlantem te Ecclesiæ videbo (& hæc mihi vota Deus perficiet) & sic quod nomen laudo, velut numen venerabor. Eris ille, qui veteres revocabit Artes,

*Per quas Latinum nomen, & Italæ  
Crevere vires, famaque:*

Artes, quarum saltem imaginem complecti conor in hac Palæstrâ. Fac igitur Magne Antistes, & si Institutum hoc meum placet, Serenissimo PRINCIPI commenda. Res juventutis, imò Patriæ & Religionis agitur, ut non doctos tantùm Viros, sed maximè eruditos atque Eloquentes habeamus. Plura dicerem, nisi repetere viderer, quæ toto libro sparsa sunt. Vale Illustrissime & Reverendissime DOMINE. Lovanii, XVI. Kal. Decemb. ∞. Ioc. XI.

EPI-



EPISTOLA LXX. *Mediolanum.*

IOANNI BAPTISTÆ SACCO, V.C.

*Senatui à-Secretis.*

CALAMVM sumo, Clarissime Vir, non tam ut scribam, quàm ut silentium apud te excusem; illud jam quidem suspectum fortassis, nisi excusem. Sed cur severitatem amor tuus induat? Nullum hoc delictum est, si fateor; & post intervallum jucunda descriptionis excusatio, quæ in conspectû reducit, quicquid non periit, sed latuit. Nunc absum, & in eâ verfor urbe, ubi nemo unquam otiosus fuit, & pauci tamen serio occupantur, aut ad tranquilla tendunt vota. Ergo & meæ Musæ nubes suas interdum habent, mea quies tempestatem. Ut nulli terrarum Ver perpetuum contigit, & amœnitas; sed alibi perpetuo rigore cuncta horrent, alibi infesto Sole æstuant: sic vita quoque hominum est: rerum vices, ut aëris temporumque. Cùm maximè studiis me tibi que destinaveram, avulsus sum; & ea ago, quæ in Aulâ homines solent: multorum gratias ambio, favores presso; quia PRINCIPII placere statui. Et in hunc finem PALÆSTRAM BONÆ MENTIS edidi atque dedicavi. Ut domum, & ad quietem meam revertar, votum est: sed ut latus alacerque, qualem & Historiæ descriptionem velim dare. Primum librum recensere cœpi, quædam mutare, plurima addere. Satisfacere mihi non possum, nisi & hic novus sit, & novum quoque plaudentis cavæ favorem impetret. Sed quid ago? quod non profectò decreveram. silentium paucioribus excusare poteram; sed affectus calamum promovit. Abrumpo; & si peccavi, hoc quo-

L 3

que

que excuso. Non scribere, ut scribas, pulchrum est; nisi scribere malis, ne scribas. Vtrumque feci, adstante & inspectante CORNELIO BREDAMEO, qui gratâ te memoriâ colit, & officiosissimè salvere jubet. Librum paratum habet, & ERRORES inscripsit, eruditum opus. Vos in Famæ theatro Equites & Senatores dignum censebitis, quod cedro donetur. Vale. Bruxellæ, in PLOVIERII nostri conclavi, qui salutem inserit. Postri. Eid. Octob. ∞. 166. XI.

EPISTOLA LXXI. *Mariamontium,*

SAXONI FINIÆ, *Viro Amico S. D.*

**E**PISTOLA tua, velut astrum mihi fuit & illuxit, cum dubiâ velut caligine petitionis meæ ratio hæreret. Nunc quid sperare debeam video; & simul, quàm benignum mihi fautorem Amplissimum PRATIVM, quàm promptum amicum te nactus sim. Præstras ultrò quod rogare debui: scribis, & sic me obligas. Ita est, ut dixi, astrum mihi tua epistola; & cum hanc laudo, Patronum tuum veneror, qui velut Sol ipse mittit jubar suum, & in bonum mei amorem te accendit. O suaves radios! illos inquam, & quos accipis, & quos reddis. Me quoque amantem habes, quem sic feris; & jam videre exopto, quem amicum nomino; imò in quo insignes animi ingenique dotes admiror. Pulchrum profectò petitionis meæ auspiciū fuit, multumque studiis meis adjectum, quibus tam humaniter favere cœpisti. Perge obsecro, & me penitus tuum redde, ut meus sim: felix enim ero, si tuus. Amplissimo PRATIO cultum & obsequium defero, & simul  
vota



vota commendo. Vale mi FINIA, & ad majora etiam, imò maxima ascende. Lovanii, Eidibus Decemb.  
∞. Ioc. XI.

EPISTOLA LXXII. *Lovanii.*

PETRO CASTELLIO, V. Amico, S. Dico,  
& MEDICI titulum gratulor.

**T**AM fœdam cæli hiberni auram, illustrare tu hodie potuisti, mi CASTELLI, & defectum anni si-  
ve morbum corrigere. An me Amici fallunt? Prorsus ut Medici titulo dignissimum te ostenderes, Apollinis egisti negotium, fuis publicè, à docto & erudito illo ore tuo Doctrinæ Medicæ, & simul Eloquentiæ radiis, velut telis diei. Lucidæ faces, tuæ voces: tanquam ἡρακλῆς, gloriam aëri, id est splendorem (liceat cum Macrobio argutari) attulisti. Iterum: an me Amici fallunt? Ergo involvi paullisper aureum vultum suum Sol passus est, ut tu luceres: & ad Scholas confluit juvenus, ut clariorem, & clausum tamen parietibus inveniret diem, ubi ingenii quisque sui specimina solet edere, & Honoris primum velut gustum haurire. Planè dicam: non me Amici fallunt. Vide autem: hac ego luce frui non potui. Missæ ab Amplissimo GEORGIO AVSTRIO, idq; jussu Serenissimi PRINCIPIS, heri vesperi ad me Litteræ, ad difficilem satis scriptiois operam hunc calamum compulerunt. Ut fidem faciam, exhibebo Quæstionis capita, & unà quid responderim. Nunc tamen necessarium delictum meum luere isto carmine volui, & Æsculapii infulam reliquis tuis laudibus jungendam, celebrare. Carmine,

ne,

ne, sed familiari, & cuiusmodi non Apollo, sed Amor  
 solet exprimere: sic facilius affectum, quàm ingenium  
 elicias. Sed quantum ego assequi non potui, à MARCA-  
 NO nostro, Musarum Promo expectabis. Nunc lege,  
 & salve.

**C**ASTELLI meus, & meus, meusque,  
 Et quater meus, ampliùsque; dives

CASTELLI ingenio, labore felix;

Astræ, Sophiaeque Mystanuper,  
 Limen nunc quoque scandis Aesculapi?  
 Sic verò decuit. Favēbit alma

Quæ curam sequitur bonam, Voluptas.

Diris conspicuum Minerva rebus  
 Manu proposuit decus benigna:

Et iugem ingenii trahit, Scholæque  
 Pompam, deliciâsque præmiorum,  
 Camœnas varias, sed & Coronas.

Vna non tibi sufficit Camœna:

Vna non tibi sufficit Corona.

Hoc ergo unanimis vovemus; inter

Vt doctos sed eas brevi FIENOS,

Inter VILLERIOSQUE, STORMIOSQUE;

Et constans Epidaurii Sacerdos

Grudl pulpita compleas Lycæi.

Fiat: atque tuo loquantur ore,

CASTELLI, imò suo loquantur ore

Divini Medicæ Senes in arte,

Magnus Hippocrates, Galenus ipse:

Senes difficiles, gravēsque multis;

Ore



Ore sed quia non suo locuti:  
 Tum demum faciles, & expediti,  
 Suo quando iterum loquentur ore,  
 Tuo quando iterum loquentur ore,  
 Pelasgo lepidoque & erudito.  
 Cogitet, bona cogitet Iuventus,  
 Iuventus Podalirio sacrata;  
 Exemplum capiat, quod inter omnes  
 Festino sequitur gradu refulgens  
 Princeps ille mea RADOVXS Palestra.  
 Sed tu nunc cape lauream, caputque  
 Clarum cinge: bonâ favente Hygeiâ,  
 Totam Thessalidem, suos amores,  
 Dabit mox tibi Phœbus ipse Daphnen,  
 CASTELLI meus, & meus, meusque,  
 Et quater meus, ampliùsque, in ævum.

Lovanii, vi. Kal. Mart. ∞. IOC. XII.

EPISTOLA LXXIII. *Bruxellam.*

IOANNI VASÆO V.R. & Amico S.D.

**N**E responsum differam, Amicissime VASÆE,  
 pauca potiùs ab occupato nunc calamo verba  
 extorquebo. Ac sanè amor tuus urget, imò hu-  
 manitas, pulcherrimis omnino litteris prompta. Etiã  
 gratiam addis; quasi præstiterim, quod æstimare de-  
 beas. Scin' quomodo? ut obstrictus sim. Quanti PV-  
 TEANVM facias, ostendisti. Sed & ego peccem, si, quod  
 exigere poteris, tamquam beneficium putem. Lætor

M

autem

autem, bonam illam adolescentis nobilissimi indolem, te Directore, ad studiorum perfectionem properare; te Mystâ tranquillis Musarum sacris familiarem sic reddi. Etenim Elegiæ & argumentum, & elocutio ipsa placet. Ac profectò ejusmodi istud specimen est, ut non nisi Apolline dictante videatur expressum. Ergo ad Perillustrem Cursorum Præfectum scripturio, ut tam insignem illi spem, quam tu industriâ & doctrinâ tuâ perficis, gratuler. Vale, & interim cultum obsequiumque meum defer. Discipulum autem tuum officiosè à me saluta: ad quem propediem nescio quid missurus sum, quod studia ejus juvet. Lovanii, VII. Kal. Februarii, ∞. Id. x. Raptim, breviterque, ut vides.

## EPISTOLA LXXIV.

MAXIMILIANO PLOVVIERIO, V.N. & A.

**E**PISTOLAM tuam nunc sepono, ut paullo post respondeam otiosius. Quid sit, rogas? Vxor mea more suo, nec more suo hodie familiam auxit. More suo, quia felici facilique partu: nec more suo, quia puellam enixa est. Ergo & beari sequiori sexu debui; ne sine sorore tot fratres essent: vincere Maritum Mulier; ne tantum filios videret. Deus voluit: hoc etiam, ut puella hæc mea jam die quoque Veneris in lucem veniret. Sic, post IVSTVM, FAVSTVMQVE, STEPHANVS, MAXIMILIANVS, COSMVS, ordine nati sunt. (an amplius auditum?) iste anno ∞. Id. VII. ille, VIII. hic IX. mense omnes Junio, die omnes Veneris, qui annuâ conversione solennia venerabilis Sacramenti sequi-



quitur. Vale, & ut stirps mea crevit; sic & amorem in me tuum extende. Lovanii, iv. Eid. Decemb. ∞. Ioc. x.

EPISTOLA LXXV. *Mediolanum.*

RAPHAELI MONTORFANO suo S. D.

**Q**VANTVM amicitia nostra ferre potest, mi MONTORFANE, usurpavi: plusculum & audacter filii; atque adeò, ut ad scribendum majori cum voluptate redirem. Sed tibi nonne hoc ipsum interval- lum gratiores Litteras meas reddet? opinor. Nec Ver- jucundum esset, nisi sterilissimum hiemis rigorem a- mabili Favonii vice emédaret. Ergo filii, ut scriberem: non scribo tamen, ut sileam. Necessitas, non voluntas calamo leges indicit; & sæpiuscule quod nolo jubet, Py- thagorissare. Sed nonne apud te impunè? Candidus es; & sic sine querelâ, sine suspicione amans, Clarissi- mum Optimúmque SACCVM imitaris. Nam quid hoc est? odium me alibi incurrere, & omissionem aliquam foedè vapulare? Vtinam emendem! conqueri enim si velim, iis similem me reddo, à quibus accusor. Sed heus tu, mi MONTORFANE: quid omnino de CORNELIO LVMINEO MARCANO Illustrissimus Cardinalis BORRO- MÆVS statuit? Vocavit, an vocabit? Hactenus nescio quid amici promiserint, & quos stimulos optimo huic Doctissimóque Viro subjecerint Italiae visendæ. Nos quidem tali ingenio Belgæ illubentes carebimus; imò inviti transferri patiemur in alienû aurum hanc gem- mam, in alienam terram hanc arborem, quæ vel quer- cum illam Marianam vincet: sed tamen si Phœbus ipse ejusmodi sibi alumnum deposcat, refragari non licet. Alii, velut surculi aut plantæ, in Italiam veniunt: hic

jam perfectus & robustus est, & panis ramis studiorum fructus uberrimos repræsentat. Planè non è plebe est, aut qui communiter debeat vocari. Et tamen famâ Illustrissimi Cardinalis excitatus, credere potuit, quicquid ab amicis perscriptum fuit; imò sic inductus (ut tanti benignitatem æstimaret Principis) ad iter se comparavit. Nunc igitur priusquam Diis Vialibus se committat, omnino scire cupit, quid in re sit, quâ spe aut fiducia veniet. Tu explora, & simul expende, quàm arduum sit è benigno Patriæ sinu emigrare. Summa hæc est: Vocatus, sed ab ipso Antistite, Italiam & conditionem æstimabit: sin minùs, hîc tamen operam suam Bibliothecæ Ambrosianæ impendet. Nihil melius, aut suavius hoc viro: germen Musarum est, & inter paucos ostendere potis, quid ingeniis Belgicis tribuendum sit. Vale. III. Non. Febr. ∞. Ioc. XII.

## EPISTOLA LXXVI.

AVBERTO MIRÆO, V. C. *Canonico,*  
& *Bibliothecario Antuerpiensi.*

**O**RIGINES tuas EQVESTRES accepi, gratum omnino munus. Quid repono? CONSOLATIONEM istam CAECITATIS. Bone Deus, quàm diverso argumento scriptiones istæ constant! In tuâ splendor est, & hunc producis: in meâ caligo, & hanc laudo. Tibi Equites omnes: mihi pauci aliquot Cæci debent. Sed ut tuum opus etiam non Equites legent: ita meum quoque non Cæci. Non Eques ego; legere tamen illud tuum cœpi: & tu meum poteris, quia luminibus non captus: imò voles, ut quî fulcire piam hanc

*rapa.*



παραδοξολογίαν potuerim, videndo intelligas. Sed misâ comparatione, librum tuum amo : tu meum, si merebitur ; aut me potiùs, spreto eorum livore & malignitate, quorum mihi in ciconiam colla curvantur. Bene est : bonus doctûsque esse non possum, nisi ut quibusdam displiceam : & sic bonis doctûsque placere non possum, nisi ut quidam obganniant. Exemplar Litterarum, quas à CARDINALI meo accepi, adjungo : tuas expectabo, ut transmittam. Sic quoque de te scripturus, mi MIRAEÆ, ut non vulgarem in te affectum Vir Maximus exprompturus sit. Reverendissimo Antuerpiensium Episcopo, Patruo tuo cultum obsequiumque meum defero : quem ego in Belgio BORROMAEVM habere pergam. Tu interpres sis, & vale. Lovanii, Kal. Augusti, ∞. Ioc. IX.

EPISTOLA LXXVII. *Bruxellam.*

FREDERICO MARSELARIO suo S. D.

**I**PSVM epistolæ tuæ limen, tristissimum mihi fuit. Obiit Matrona, annis quidem obsita, sed quæ robustum satis corpus tradiderat senectuti, longioris adhuc vitæ capax. Deus noluit : & hæc omnium meta, velut ultima linea, Mori. Nunc verò & meum hospitium turbatum est ; ut scias præter affectum esse, quòd commovear. Vtinam adsit STRVZZIVS, & viduam saltem domum familiamque curet ! De testamento siquid nôsti, quæso indica. Præterea, quis funus curavit, quis reliqua administret. Testimonium Epistolis meis adhærebit, & expressum mox leges. Nam BELLARIA, ad finem jam perducta, hoc velut corollarium habebunt. Ut de rectâ Principis Institutione aliquid dicam sive

scribam, rogas. Destinavi aliquando: jam verò non re-  
nuo, sed differo; & te amo, mi MARSELARI, tanquam  
in intimâ classe. Vale. Lovanii, XIII. Kal. Decemb.  
co. Ioc. XI.

EPISTOLA LXXVIII. *Fallefium.*

HERMANNO A BVRGVNDIA,  
*Baroni Fallefio.*

**N**VNC certè stili usum agnosco, ô inclitum Nobi-  
litis decus; quia scribere saltem licet, post-  
quam coràm promere & haurire voces nega-  
tum est. Ergo in itu reditúque tuo felix esse MARCA-  
NVS meus potuit, etsi decumberet, Febri nescio, an A-  
more tui magis æstuans; sed æstuans. Vultum tuum u-  
surpavit, sermonem, humanitatem. Ego ille jam vege-  
tus alacérque Belgici beneficio cæli, cur non accusa-  
re valetudinem potui; ut aliquam saltem animi felici-  
tatem Fortunæ deberem? Ecce vultum tuum, sermo-  
nem, humanitatem Morbo emerim. Tuum, id est, vi-  
ri inter páucos, stirpe, opibus, animo magni, & qui  
tantum sapere potuisti, quantum possidere. Virtus ti-  
bi curæ est, & ut hanc perficias exornesque, ipsa Do-  
ctrina: non robusta illa solùm & seria, sed amœnior  
hæc quoque, blandóque Musarum commercio læta.  
Omnino ad usum & suavitatem ingenium habes, &  
ut quàm pulcherrimè occupes, Litterato otio remit-  
tis. Sic vivis, sic agis, sic habitas; & vel ideo maximus,  
quòd recensere in Majoribus Sceptra & Diademata  
potes, nec ingemiscis. Sed hanc felicitatem istæ in pri-  
mis Litteræ perennem faciunt, & hæc tua, quæ Litte-  
ris adhæret,

*fœcum-*



----- *fœcunda quies, Virtusque serenâ  
 Fronte gravis, sanusque decor, luxuque carentes  
 Delicia, quas ipse suis digressus Athenis  
 Mallet deserto senior Gargetius horto.*

Iam verò & carminis tranquillitas divinas ingenii tui dotes nobis pandit. Etenim SEDECIAM Tragœdiam vidi, vidi EPICA, & admiratus sum. grandia, ita me Deus, & planè Heroicâ felicitate expressa. Heros ipse es, qui sic scribis; & par Regibus, qui ingenio usurpas, quantum illi capite solent circumferre. Non Fortunæ, sed Musis coronam debes. O rarum! & quotusquisque ad hanc animi magnitudinem vota attollit? Quotusquisque sceptro Majorum stylum supponit, & mente complectitur quicquid regna cuncta excedit? Pleramque hodie Nobilitatem nugæ & sordes obsident. Alius torporem ignavæ vitæ, aut fastum; alius illecebras popularium vitiorum amplexus, generis, quo superbire alioquin possit, gloriam atque majestatem demolitur. Hoccine eminere? Florentes tamen beatosque dicas; quia Fortunæ, Stemmatis, aut Titulorum vano & ambitioso quodam emblemate se ostentant. Sapiens ille, dictis acer, ut est apud Laërtium, τὸν πλοῦσιον ἀμαθῆ πρόβατον εἶπε χρυσόμαλλον. Audiant hanc vocem Amusi isti, solo corpore, aut solâ Fortunâ homines; audiant, & erubescant: quorum si ambientem felicitatem paullulum attondeam, nudi, miseri, nulli sint. Bonus & Bonâ Mente præditus, semper lætus, erectus, sui que similis: hunc si aulæ procella, aut fori, extra opes projecerit; tamen suus est: huic si fragrantem votorum auram fati inclementia corruperit; tamen suus est: animum, imò vultum servat, quasi non ipse à Fortunæ arbitrio, sed ab ipso Fortuna pendeat. Itaque verè Virum  
 Nobis

Nobilémque, animus facit : majorem tamen ac feliciorém, si pares fortunæ animo sunt : si nec strenuos conatus humilitas remoratur, nec paupertas retardat. Divitiæ quidem esse instrumenta Virtutis, ac Gloriæ debent : non vitiorum aut deliciarum, quibus enervata multorum natura, maximo seculi damno, contabescit. Ego ad tuum exemplum neglectas sepultasq; Virtutes voco ; ut discant mortales, quibus gradibus ad æternitatem eatur : si ad Sapientiæ regulam mores exigant, si animum fortunæque generosè occupent, neque parci extra mediocritatis lineas, neque profusi. Quippe ingentes divitiæ, cum avaræ sordidaeq; mentis angustia premuntur, semel invidiam habent : iterum, cum prodigo furore per luxuriæ rimas ac hiatus omnes diffluunt. Moderandum est. Odit opes suas, qui prodigit : nimis amat, qui ne ad usum quidem promit. Quid philosophor ? vix epistola hanc nunc severitatem admittit ; & quia apud te loquor, video, quicquid præcipere moribus Sapientia potuit : & loquor, ut intelligas, tanti apud me Virtutis tuæ Doctrinæque famam esse, quanti & Stirpem, & Nobilitatem, etiam à Regibus deductam, & cetera Fortunæ beneficia, honorisque fulcra, quæ Virtute Doctrinæque ornas, alii faciunt. Homines nonnulli ad pompam duntaxat compositi, quia veris bonis non capiuntur, has duntaxat veræ magnitudinis umbras extollunt. Nos certè puriori bonæ Minervæ aurâ imbuti, quia totum scire te potuimus, acriùs etiam amare coacti sumus. Et in hoc certè mecum conspirat MARCANI mei ardor ; imò, & in hoc amorem ejus æmulor : adeò ut quem auctorem tanti affectus agnoscam, jam quoque audeam vincere. Sed ideò tamen inferior infelicioorque, quòd non

te



te vidi, non audivi, cùm possem. Quid dicam? Monitus fui, nec monitus. in ipso nomine famuli erraverunt. Adeste VILLERIVM nunciatum est, quem in hac urbe Medicum, & Professore habemus. Ergo cum FIENO hunc adeste MARCANO credidi, pertinaciùs decumbenti. Quia negotium erat, respondi, de meridie me venturum: interea meliorem precari valetudinem, & geminâ ope Æsculapium propitium. Venio deinde, & ecce errorem deprehendo: non VILLERIVM, sed FALLESIVM fuisse; non Medicum, sed Apollinem ipsum; Virum illum, quem videre votum erat; quem si in exemplum vitæ Belgica sibi Nobilitas proponat, cultior clariorque habeatur. Apollinem dixi; quia tuo ore Musæ loquuntur: Apollinem; quia vultus & affatus, meliorē MARCANO nostro valetudinem adspirârunt. Quid igitur? reducere hominem ad Musas potuisti; & jam carmen cœpit meditari, priusquam exurgeret. Vides Vir Nobilissime, cur infelix sim: non decubui. Summam dicam? non te vidi: sed in sermonis vicem, sic nunc stylum usurpare ausus sum, tanquam vidissem. Bene interpretare hunc affectum, & cum LVMINEO pariter PVTEANVM ama. Ab utroque mox videndus es. Ille à languore, à negotiis ego respiré, veniemus. In tuo te Castro, & felici quiete venerabimur. Vale. Lovanii, Postrid. Non. April. ∞. Ioc. XII.

Adjungo Carmen LVMINEI, quod in ipso lectulo & febri expressit, & ad me misit.

N

IN

IN  
S E D E C I A M  
TRAGOEDIAM,

AB HERMANNO ABVRGVNDIA

Latinitate donatam.

**I**VDÆÆ cineres, antiqua busta ruina,  
Atque olidi tristes carceris exequias  
Ducis in orchestram Sophoclaon amulus æstro,  
Hebrææ socias carmina mœsta lyra:  
Ut patriâ regione procul, sub Principe duro,  
Gens ea crudeles senserit ægra Deos:  
Atque iterum, ut memoris suspiria lenta querela  
Traxerit auritas fluminis ad salices.  
Utque tibi facile est magnos superare Poëtas,  
Et tua præ reliquis vena beata fluit;  
Garnerum ante venis numeris & Apolline dextro,  
Et tua Musa cavo grandius ore tonat.  
Gallica Romano per te magis aucta cothurno  
Melpomene, undantem varicat alta gradum.  
Euge! tibi doctas hederas & plexile fertum  
Componit, genio Pieris apta tuo.  
Sic decet, emineas ut tali stemmate: & ipsum hoc  
Quàm bene in aeterno stemmate stemma viret!

C. Lumineus à Marca.

FPI.



## EPISTOLA LXXIX.

NICOLA O MONTMORENCIO, *Comiti  
Stegriensi, &c. Finantiarum II. Viro.*

**L**IBELLVM, quem meâ voluiffem manu Pietati tuæ offerre, Illuftriffime Vir, nunc mittere cogor, & fic bonorum Amicorum operâ uti. Litterariæ Professionis onera me detinent, & quotidianæ Differtationes, quæ fervere fâctioribus his quoque diebus folent. Itaque ne publicis defim commodis, & juventutis curfum infringam; audeo, cùm maximè placere debui, apud humanitatem tuam peccare. quid etiam? fateri neceffarium officii delictum, ut excufes. Sed videbis quoque PVTEANVM, quem leges: & ego quò magis hæream, priùs in animum, quàm in oculos me tuos infinuabo. Sic admitte igitur fcriptionis iftum cultum, & quantum ego non mereor, Amicis tribue. Omnia confequar, fi lectione tuâ Orationem æftimabis; & libentiùs deinceps laudabo VIRGINEM, huic fi Encomio faveris, quod tuis velut manibus Deo hominibùsqne trado. Vale Illuftriffime Vir, & ut publicè privatùmq; felices fimus, diu vive. Lov. xv. Kal. Apr. ∞. Ioc. XII.

EPISTOLA LXXX. *Coloniam Agripp.*

GERARDO ARNEMIENSI *Societatis IESV,  
Præceptoris fuo.*

**T**V unus mihi propemodum relictus es, Reverende Pater, quem è frequenti Præceptorum cœtu colam: & unus ante omnes fuifti, in quem post

reliquos affectum meum derivarem. Quoties adolescentiæ annos & diatribas cogito, in oculis mihi suavissimus ille vultus tuus versatur, & adhuc aures vox docentis mulcet. Ad Scholas redeo, & eruditionis (siquam nactus sum) fundamenta. Quicquid ingenio aut iudicio accessit, labori tuo instructum est: imò tuo succo radices egi, tuo beneficio excrevi, & vocis stilique fructum potui dare. Memini, memini, quàm sedulo docendi illud munus obire solitus es, quàm miti severitate & me & totum illud discipulorum agmen regebas.

*Nec segnem passus nobis marcere iuventam,  
Sæpe dabas merita non vilia præmia Musæ.*

Quoties excitatus fui! quoties affectus tui stimulos sensi! ut omnino PVTEANVM tuum animares, in exemplum alicujus industriæ puerum pueris publicè commendare solitus es. Quid factum est? Adhæsi artibus elegantissque, à te quibus imbutus sum; & absolutâ scientiarum periodo, redii unde discesseram: ad Musas & Minervam; & sic ad te, qui, ut ostenderes, quo affectu meliorem illum linguæ & ingenii cultum docerè cœpisses alios, consensescere in eodem pulvere voluisti. Et quid ni gratum igitur, si Præceptorem suum jam provecti adeant, & in sinum ejus incrementa studiorum deponant? Ego feci, & nunc facio: eò libentiùs, quia DE PVIRITATE est quod adfero, & in laudem D. VIRGINIS publicè hîc dictum. Ut maximè facundus essem, pius esse volui: ubi omnes sapiunt, ingenium experiri. Idem acumen aliis aliisque verbis extruli, & sæpius tentavi, quod nullâ quivi eloquentiæ felicitate consequi. Thema identidem conatum provocabat, PVIRIFICATIO VIRGINIS-MATRIS. Idem igitur,  
sed



sed aliter tamen dixi. Tu vide, & judica. potes: Præceptorem te habeo. debes: Concionatorem agis. Vale, & æternùm tibi tuisque PVTEANVM addictum habe. Lovanii, XI. Kal. Aprilis, ∞. IOC. XII. De statu Scholæ, & Collegii aliquid ad me scribe. R. P. Rectori, ceterisque Patribus, & Præceptoribus; imò Discipulis S. nuncio.

EPISTOLA LXXXI. *Bruxellam.*

GVILIELMO VERDVGIO, FRANCISCI F.  
*à-Consiliis Bellicis.*

**Q**UOD Lyricus Vates extulit, Perillustri Vir, *Fortes creari fortibus & bonis*, tuo exemplo Natura confirmavit. Ab arbore ramus non dissentit. Ramus? imò jam arbor, quæ largam Virtutis umbram spargit, id est, gloriâ cingitur. Felix Pater! etiam in filio vivit. bis felix Filius! Patrem repræsentat. Vnius ætatis VERDVGIUM esse, satis non erat. FRANCISCI fuere, ut GVILIELMI sequerentur; & hi secuti, ne illi desinerent. Sed alii hoc vident & dicunt; nos experimur, qui Litteras tractamus, & de armis interdum loquimur. LIPSIUM aliquando magnus tuus Parens suum fecit, imò nostrum fecit, & complexus est: Tu me non indignum benevolentiam tuam judicas, quia ab amicis commendatum. Hoc agis omnino, ut Litteris & ingenio meo subsidium gratuler, & me scribere tuum audeam, ingenuam quâdam Libertate. Admittes cultum; & patieris, ut Virtutes tuas familiariter deinceps venerer: imò admittes munusculum, quo cultum testor. munusculum solam novitatem æstimandum. EPISTOLÆ sunt, & ut delicias mentiar, BELLARIA inscribuntur. recentes sunt,

sunt, & reliquum apparatus promittunt. Hoc do,  
quod scribo, & quasi unæ Litteræ nullæ sint, Centuriâ  
loquor. Vale, & vive. Lovanii, vi. Eidus Martii.  
∞. IOC. XII.

## EPISTOLA LXXXII.

CORNELIO WYTFLIETIO V. C. & A.  
*Curie Brabanticæ Graphiario.*

**P**ALÆSTRÆ nunc paullisper oblivisci possum, Vir  
Clarissime, ut FLAVI negotium commendem; Vi-  
ri profectò auxilio tuo, humanitate omnium dig-  
ni. Quàm acribus petatur adversariorum telis, res ip-  
sa indicat. Libellus impressus est, ut videbatur, ad En-  
cæniam nostram exhilaranda; & manu suâ librorum Cen-  
sor consensum expresserat: sed quid? foccus ille totus  
pænè in cothurnum versus est; & conjectus in discrimen,  
qui planè nescivit se peccare. Quia res ludicra fuit,  
maluit Censor nomen suum non addere: atque sic quoque  
censuram ipsam Typographus omisit. Hac ansâ æmuli  
instructi, tantū quidem effecerunt, ut nisi veniæ locus  
sit, insigne & Litteras & hanc Academiam damnum maneat.  
Transtulit huc sedem familiamque Vir probus, sedulus,  
& Reipublicæ utilis; Typographiam luculentam instruxit  
Vir Græcè & Latinè doctus; quod hætenus Academiæ  
nostræ defuit, præstare coepit Vir origine quidem Germanus,  
sed jam multorum annorum incolatu Belga: si probitatem  
respicimus & industriam, non malitiâ, sed innocentiam  
peccatum est; si doctrinam & eruditionem, promoveri,  
non retardari honestus conatus debet; si originis  
conditionem, patrocinium meretur. nam ut bonus piusque  
esset,



esset, patriam deseruit. Cur invidemus bono quietem, extero sedem, perito artem, quâ & honestissimè studeat vitam tolerare, & Litteris prodesse? Et nunc tamen, ô Bone Deus! odium incurrit. Imò in crimen quoque res Bibliopolii tracta est, quasi libros noxios possit invehere, qui Satiram impressit. sed hinc profectò manifestum esse potest, criminationibus innocentiam obrui. Ut hominem accusent, mercimonium proscribunt: quasi Lovanii fieri non debeat, quod ubique terrarum instituitur. Nugæ. Iam verò cujusmodi Satira illa est? risu potius, quam irâ digna. Ego sic interpretor: qui in eodem libello pungi me sentio, id est, amœniorem hanc doctrinam nigro sale defricari. Vide obsecro, quid de Historiâ, de Antiquitate, de Romanis expressum; & ne stimulus deesset, acicula quoque accessit. Casu inventa, braccis an manicis figi soleat? quæritur. Omitto alia, quæ cuncta rideo. imò quia Encæniorem tempore prodire, excuso. Siqui acerbiores sunt, & minùs ferre ingeniosum aculeum possunt, maligni esse non debent, nec verbum unum alterumve quæsitâ rerum interpretatione onerare. Fortassis qui malè sibi conscii sunt, auctorem quoque audent designare; & per summam impudentiam nunc hujus, nunc illius famam onerant. Fuit quoque, qui ut malevolentiam suam aperiret, in me suspicionem detorsit. Et procedere hucusque audacia potuit! Ô boni, ô Christiani mores ubi estis? Sed ille quidem primum Veritati, deinde ingenio meo injuriam facit. Nam profectò ad alia & meliora stilum exercui: & hoc sanctè dico, imò jurejurando confirmo, libellum illum meum non esse. ampliùs: nihil in eo meum esse. E Gel-  
 -iâ reversus, ut Encæniis nostris interesset, eum in

Tyno.

Typographi manibus deprehendi, & istis quisquiliis impediri seriam operam dolui. Indignor, ita me Deus, hæc debere dici. Tibi Vir Clarissime, & tuâ operâ Curia, Amplissimóque Cancellario caussam hanc commendo. Ego me censeo optimè de Academiâ mereri, quia pro eo jam loquor, qui innocentia suâ parvi delicti veniam sperare possit, & laudabili deinceps conatu industriâque Litteras, Lovanium, Patriam universam exornare. Sciant Exteri, imò sciant Posterì, corrigi potiùs apud nos delicta, quàm puniri; plus humanitatis in Curiâ, quàm in Academiâ fuisse. Ignoscere homini qui peccavit, ne peccet, pulcherrimū est. Clementiæ laudem omnis Antiquitas extulit, omnis posteritas efferet. Veniam meruit, qui hoc petit, ut emendare culpam possit, quam esse culpam ignoravit. Nescire munus suū potuit & labi, qui novus est. Sed ut liberum humanitati & clementiæ locum faciam, delictū non excuso. Mereatur veniam, qui hoc doler, quòd cum displicere nollet, lapsus est. Ad Amplissimum Cancellarium Litteras fuscè scriptas nudius tertius misi: sed illis pondus aliquod fortassis hæc addent. Vale, & lato responso Typographi conatus optimos fove. Lovanii, xv. Kal. Octob. ∞. loc. xi.

EPISTOLA LXX XIII. *Madritum.*

IACOBO ROBERTIO *suo* S. D.

**T**V me amas, mi ROBERTI, quia cogitas: imò tu te amas, quia BONAM MENTEM. Ergo non infelicitè hîc fuisti; cùm amare possis, quem non vides ampliùs; & tractare studia, ad quæ præivi. Perge verò, seriòque bonos annos occupa, ut meus esse pergas.



gas. Vana & noxia sæpe blandiuntur, & fallentes rerum auræ: non potes extra discrimen habere animum, nisi oculos vindices. Multa ne videre quidem debes, cum vides. Hoc expende continuo, quò via ducat, quam infistis: quis eris, cum absolveris quod agis. Tibi severus esto, otium profliga, cupiditatibus frenum injice. Lege, scribe, meditare. Solam si linguam discis, quam rudes, sæpe etiam mali callent; steriles isti mentes sunt, & sine fructu iter. Adjunge moribus elegantiam, ingenio cultum, sermoni scientiam. Prudentia tibi discenda est, ut, quoties loqueris, in Iberiâ te fuisse omnes intelligant. Etiam sic BONA MENS colitur: PALÆSTRAM habes, si te libelli occupant; imò PVTEANVM habes, si scribentem audis. Quid plura? injice manum tempori; hîc avarus esto, ut omnia habeas. Exigua adhuc mora est, & redibis. tunc te meum magis dicam, quem ego nunc quoque amo, quia cogito: imò quem ad optima hortor, ne amare unquam desinam. Vale, & in oculis, imò in animo PVTEANVM gere. Lovanii, Postrid. Kal. Mart. ∞. Ioc. XII.

EPISTOLA LXXXIV. *Bruxellam.*

MELCHIORI DAELHEMIO V.R.

*Scholæ Augustinianæ Præfecto.*

**D**E ARCHITHRENIO judicium, & simul consilium tuum laudo. Dignus ille Auctor, qui multorum manibus teratur. Nævi aliqui, sed illius ævi sunt; qui doctam scripti majestatem non impediunt. Etiam in venustâ aliquâ facie verruca hæret, & commendat potiùs formam, quàm destruit: ita hîc est. Atq; mores nostri ejusmodi quoque Censorem merentur. illu-

O

stra

stra igitur, & ede. Nomen quidem suppressum est, sed volunt Io. SARESBERIENSIS esse, qui & Policraticum scripsit. Favere te PALÆSTRÆ meæ, suave fuit audire. Hoc ago, ut meliorum Litterarum, & Linguarum cultum promoveam: etsi frigus quoddam & inertia multorum animos obsedit. Schematismum hujus mensis hîc habes, ut de Instituto judices. Adjungo Aristotelis *περί ἀπερῶν ἔγκριστον* libellum, Latine à me redditum; quem si tu probaveris, commendare juventuti vestræ audebo. Vale Reverende PATER, & me ama. Lovanii, xiv. Kal. April. ∞. loc. xi.

EPISTOLA LXXXV. *Antuerpiam.*

IOANNI WOVERIO, V. C.

**Q**VIA BELLARIA dedi, Clarissime Vir & Amice, absolvere Apparatum hunc Epistolicum constitui. APOPHORETA quidem impressa sunt: RELIQUIÆ cœptæ. Sed ne eadem sæpius nomina ponerentur, supplementa quærenda erant. Varietatis in his quoque gratia est; & ad plures scripsisse, laudis argumentum extendit. Rara alioquin exemplaria reservo, nec semper optima: non cum volo, sed cum tempus permittit. Tibi igitur gratiam dico, quod quæ tuæ sunt Epistolæ, meas iterum, & sic publicas esse sinis: tuum nomen in scriptis meis relucere. Quod remitti cupis, honori meo adscribo: & fiet, ubi à Typographo recepero. Oratio mea de PURIFICATIONE impressa est, quam hac septimanâ videbis. Ut morem pietati gererem, exponere oculis omnium sustinui, quicquid multorum auribus commiseram. Deus bene vertat! te & sua-



suavissimam Conjugem liberósq; servet; quam & quos  
ego & mea salutamus. Lovanii, Prid. Eid. Martias.  
∞. IÆC. XII.

EPISTOLA LXXXVI. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVVERIO V. N. & Amico.

**D**OMVM reversus, diligentissimè pueri conditio-  
nem expendi. De multis apud suos conquestus  
est, quæ cujusmodi sint, intelligere mater potuit,  
postquam non solum audivit. Mea certè mens quæ  
fuit, nosti: nequid indignum ingenio faceret, aut à  
studiis alienum. Sed quid est? famulum domestici no-  
minârunt, cùm genus & originem jactaret gloriosius.  
ac certè poterat aliis esse major meliôrque, si tacuisset,  
imò si sprevisset. Sed improvidam linguam rudis adhuc  
ætas facilè præcipitat: & sic, qui liberiùs elatiùsque lo-  
quuntur, impatientissimas aures habent. Atque hæc  
talia sunt, ut in culinâ quoq; perire debuerint, & cum  
fumo evanescere. Nunc igitur suadeo, ut quod cupit,  
faciat, & studiorum libertatem experiatur. Multum  
profecit: tempus æstimare cœpit, & colere ingeniũ vel-  
le. Quia ad Philosophiam anhelat, poterit hæc castra  
sequi, & suus esse. Ceterùm, ut mihi à manu studiis-  
que sit, & simul Pædagogium frequentet, fieri non po-  
test; nisi aut mihi, aut præceptoribus suis non satisfaciat.  
Nunc ad alia, & à puero ad mulierem, de quâ scri-  
bis. Itâne! Planè ut audit, ita fecit, & cum Plautinâ  
illâ anu sapit:

*Semper oculat & nostræ sunt manus; credunt quod vident.*

At putabam, non ita ignotum me esse. Quòd & tibi  
frontem opposuerit, id verò impudentiæ proximum

puto. Sed femina est, & ea quam novimus, nunc ignoti. Vide autem, apud quam partem plebis fides nostra potest laborare. Multum etiam fecimus, qui tam benignè, ut humanam censeremus. Hem! tulisses osculum, & blandiori oculo tentasses animum. Frustra: quo pretio facilis quandoque fuit, hinc conjice: præ omni affectu aurum habuit. Fortassis novus aliquis calor morosam hanc Lycen reddidit: excusamus, rideamus. De Litteris quid dicam, quas A D E R B A tulit? gratæ fuère; facturum te lego, quod ille fecit; id est, venturum. Cupio, opto, exspecto; & simul quem nominas FINIAM, suavissimi animi & promptæ humanitatis Virum. Atque hic mihi inter eos deinceps erit, quos melior & generosior Genius à vulgo secrevit. Eja venite, hilares erimus: & suave mihi, apud tales animum effundere. Silentium non erat opus tam laboriosè excusare. Satis; *Distuli, otium non erat*. Et si continuò me lætum reddant quæ scribis, tamen cùm non scribis, à culpâ remove re affectum possum, quem nunquam intermittis. Aliquando quies animum occupat, nec amor extinguitur: vivit ignis, quoties focum velut sepulchrum habet, & cineribus tegitur. Deinde non sine nocte dies sunt: sic silentii & scriptionis vices Amici habent. Verùm non ista ego, ut silere velim, sed ut silentiũ tuum excusẽ potius, ad scriptionem verò magis incitem. Omnia te vis ut rogem? A M A.: id est, fac quod facis, scribe cùm potes; & me tamen cogita, cùm non scribis. Dedicationem placere, vehementer gaudeo. quæ tu probas, rejicere bonus nemo poterit. Et Viri hujus probitas, integritas, facilitas ab omni laude adulationem removent. Vale, amã, scribe, veni.

EPI.



EPISTOLA LXXXVII. *Mechliniam.*

OTHONI HARTIO V. *Amplissimo,*  
*in Supremâ Curia Senatori.*

**M**ITTERE libellum distuli, Amplissime Vir, ut ipse ferrem. Sed nec in feriis feriari mihi licuit. Scholæ negotia domi reperio, cùm illa filet: manu calamôque loquendum est, quoties solus sum. Bruxellæ tamen fui, & inde Mechliniam cogitabam: æstus, & ab eo languor prohibuerunt. Sic agimus mortales vivimusque, incerto robore; ut incerta cali aura est, nunc frigore, nunc calore corpusculis hisce infecta. Mille hominis miseræ; si quod in homine fragile est, censemus; nullæ, si animus rectus, & vel in nebulâ istâ sensuum relucet. COMI exemplaria hæc pauca habe, tibi, amicis: & cum hisce, si opus, libellum, libelli que auctorem tuere. An frustra exigo? Accusandum istud jam Somnium, tamquam famosum, nescio quis rumor indicat: & ab eo, qui se læsum putat; imò qui se Noctis Myrtam facit, quia putat. At ego tamen quæ neque facta, neque futura sunt, scripsi: imò Interpretem arcui. Sic exordium meum est. Video, video, in quæ tempora inciderim. in illa Constantij, ut est apud Ammianum Marcellinum, lib. xv. cùm etiam somnare, imò dormire periculosum esset, ne somniasse quis videretur. Sed adscribam Historici illius verba: *Mercurius, Solemniorum appellatus comes; quod, ut clam mordax canis interno vitio summissus agitans caudam, epulis coetibusque se crebris inserens, si per quietem quisquam, ubi fufus natura vagatur, vidisse aliquid amico narrasset, id venenatis artibus coloratum in pejus, patulis Imperatoris auribus infundebat: & ob*

hoc homo tamquam inexplicabili obnoxius culpæ, gravi mole criminis pulsabatur. Hæc augente vulgatius famâ, tantum aberat, ut proderet quisquam visa nocturna, ut egre homines dormisse sese presentibus faterentur externis: mœrebantque docti quidam, quòd apud Atlanteos nati non essent, ubi memorantur somnia non videri. Sed quàm vellem coràm de his differere! & fortassis propediem fiet. Amici illius, & adhuc Cinctuti causam, ut opinor, æquam, & jam Prudentum nostrorum Responso fultam, iterum & seriò commendo. Vale. Lovanii, Prid. Eid. Sextil. ∞. Ioc. VIII.

EPISTOLA LXXXVIII. *Antuerpian.*

ANDREÆ VALERIO S.D.

**E**TIAM SANCTIVM accepi, mi VALERI; qui generoso saltem conatu GRIPHVM aggressus est. Evolvi obiter librum, & quædam deprehendi, quæ notaveram. Sed cùm aliena video, magis incendor, ut mea tandem emittam: non quasi meliora, sed quia mea. Ibis planè poema *σχοτεινόν* est, & ingenio atque explanatione tuâ dignum. Hortor igitur, ut seriò admoveas manum, & non dicta dicas. Librum ipsum faxo quamprimum recipias. Ego siquid habuero, liberali manu conferam, & rebus studiisque tuis, quantum in me erit, favebo. Orationem, quam misisti, vin' laudem? Reverendissimo MALDERO placuit: hoc satis. Censeat sic ille scripta mea, & invidiam contemnam. Iam verò & PALÆSTRAM jungere Æternitati audeo, quia ille collaudat. Vale. Lovanii, v. Eid. April. ∞. Ioc. XI. Clarissimum MIRÆ VM saluto.

EPI-



EPISTOLA LXXXIX. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTÆ SACCO, V. C.

*Senatui à-Secretis.*

**L**ITTERAS à Senatu Bononiensi accepi: quid amplius? in eo jam sum, ut rationem cum ipsâ fortunâ subducam. Quantum prospicio, gratia FONTANI conservari non poterit, nisi maneam: sed manere ego, si omnino iusserit. An facturus? Hic etiam amici me omnes conantur retinere; ac planè ambiguum faciunt. Quia res ad Serenissimum PRINCIPEM delata est, ab eo pendeo. Atque sic jam, quanti PVTEANVS erit, omnes statuent. Quem Princeps retinebit, æstimabunt exteri, tanquam domi magnum: quem dimittet, Belgæ, quia evocatum. Sed decretum ipsum, sive veniæ, sive mansionis erit, statim scies, & unâ ad Bononienses scribam. sed bonum omen. Vxor mea quartum jam valentula fuit, & in puerperii hac Palæstrâ Lacæna: masculum marito dedit, atque ad eò absentem. Bruxellæ enim sum, & hac ipsâ horâ felix nuncium accepi. Obsecro, sciant amici. Ego desino, & Lovanium propero, ut auctam familiam videam, gratiâque dicam tam strenuæ puerperæ. Nomen infanti dabimus MAXIMILIANI, ab amico hîc meo PLOVVERIO, Viro quem nosti. Sic quorum virtutes imprimis admiramur, adoptari memoria debet. Vale, & salve cum tuis, id est, cum meis. In urbe, quam dixi, Postridie Nonas Junii, ∞. Ioc. VIII.

EPI-

EPISTOLA XC. *Antuerpiam.*FRANCISCO SVEERTIO F. *Salutem D.*

**F**IRMEMVS quæso hanc amicitiam mi SVEERTI, & colamus scriptione. Ego tuus ero, & in primâ classe, quorum tessera *Candor* est, & placidi in omni vitâ mores. Hos amo, hos profiteor: nec eruditio placet, quæ sine illis. Scire juvat; sed ut animum componam, aut corrigam, pulsus vitiis ineptiisque vulgi. Laudo illud *λεωφόρους ὁδοὺς μὴ βιάζειν*. Sic me contraho, & cum paucis ago, id est, bonis. Vides igitur quâ te causâ amem, & quâ amari cupiam: quia bonus, quia eruditus es, animumque sine nube habes. De HEINSIO quàm suave fuit LERNVTII nostri iudicium videre, id est firmari meum, quod expromseram! ad ipsum verò jam constitui scribere; & cum eruditionem amem, humanitatem experiri. Sed de SCHEPERO quid censes? ego juvenem admiratus sum, in versibus ad me missis. Et an aliquid sublimius, doctius, perfectius in hoc genere vidisti? Repeto voces meas: admiratus sum. Tu in tuis perge, & Inscriptiones istas ævi nostri deprome, ut nuper mortuos ad vitam revoces, nec ipse unquam moriaris. Lovanii, Prid. Eid. Iunii, ∞. loc. VII.

EPISTOLA XCI. *Bruxellam.*

GEORGIO AVSTRIO, *Præposito Lovaniensi,*  
& *Academiae Cancellario.*

**I**N tumultu quodam occupationum (nosti munus, quo fungor) me tuus hic ille deprehendit, obrutum potius quàm impeditum. Sed quid non velim, pænè dixeram,



dixeram, quid non possim, cùm ad istum modum interpellor? In tuis Litteris ipsum Serenissimum PRINCEPES meum video: illum, cui totus vivo, cui hanc manum, & hunc animum, imò quicquid in me aut circa me est, meritò devovi. Ergo sic te alloquor nunc, quasi ad ipsum illum Solem pars aliqua sermonis mei derivanda sit: imò alloquor, & verecundiâ simul hæreo; quia de re satis difficili (talis hæc Quæstio) responsurus sum. Sed ego tuâ humanitate fretus, expromam, quantum repentinâ collectione observare potui; & si quid humanè faciam, in tuâ conabor umbrâ errorem abscondere. A Regibus Imperatorum insignia deducta sunt, sed mutata, & aucta. Rex, ut inter omnes eminent; ita cultu ornatûque augustior. Insignitur Caput, Manus, totûmque Corpus: istud Diadema, illa Sceptro, hoc Purpurâ. De Diadema igitur quæritur, eoque Augustali, & quibus radiis summum illud Christianæ Reipublicæ Caput resplendeat. Paullo altius rem repeto, & velut à fonte rivum hunc sequor. Διαδήματα, quæ & σέμματα Græci appellant, id est, ipsa insignia Regis præcipua, sive quæ caput spectant, Duplicia olim: vel Quotidiana, vel Solennia. illa ad usum continuum; hæc ad pompam, videlicet die, loco, re illustri. quemadmodum variatum fuisse, in Historiâ observamus, postquam à primâ simplicitate majestas recessit. Nam verum Diadema vinculum capitis, sive fascia fuit lintea, παρὰ τὸ διαδεῖν, id est à ligando: nexus autem sive nodus in occipitio. Color albus, quemadmodum & vitæ nivea. Virgilius:

----- Νίπεά cinguntur tempora Vittâ.

Sic & Vesta, quæ Terra, candidis coronari fertis solita; ne orbis hujus natura in obscuro esset, quem albissimo

aer colore ambit. Apud Persas hic candor Purpuræ velut conjugium admisit. Sic de Alexandro, qui victor victi mores imitabatur, scribit Curtius, libro VI: *Purpureum Diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Atque hujusmodi igitur fascia solo candore illustris, Diadema Quotidianum fuit. Solenne verò illud lumina lapillorum admisit, aliisque refulsit deliciis, etiam Coronæ nomine insignitum: atq; hinc Stemmata, sive Laminæ aureæ, cum gemmis & margaritis; sed in orbem solidæ, ita ut capiti imponerentur, sine vinculo aut nexu. Postea Corona & Diadema coaluere, & ipsa nomina confusa sunt. E Stemmate, sive laminâ rotundâ, quam *πέταλον* Græci vocant, radii exsurgebant, aurei quoque; & divinitatis quidam splendor hac imagine quæsitus fuit Radii isti duodecim antiquitus erant. Virgilius de Latino:

----- *Cui tempora circum*

*Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,*

*Solis avi specimen.*

Ergo ad Solem hic numerus referebatur; quia totidem signa Zodiaci percurrit; imò quia totidem menses & horas conficit. De utrisque his Martianus Capella, lib. II. De Sole:

----- *Radiisque sacratum*

*Bis senis perhibent caput aurea lumina ferre;*

*Quòd totidem menses, totidem quòd conficis horas.*

Ad rem facit, quod Artemidorus refert, lib. IV. cap. LI. *Fuisse, qui somniaverat in Solem se mutatum, & sic undecim conspicuum radius per forum progredi.* Nec vanâ imagine: *Ducem exercitus à civibus creatum esse: sed in eo imperio, undecim transactis mensibus, obuisse.* Addit: *Διὰ τὸ μὴ τέλειον ἔχειν τῶν ἀκτίνων τὸν ἀριθμὸν: quòd plenum radiorum numerum non haberet.*

Sic



Sic verò quoties *σεφάνω ἀκτινωτῶ* Princeps fulgebat, Divinitati quodammodo insertus credebatur. Sed Romani Imperatores, ut invidiam evitarent Diadematis, noménque Regis; ingeniosius augustiúsque relucere potuerunt, fulgentibus his auri radiis assumptis. Hoc etiam constat, Coronam Radiatam & nudo capiti, & galex sive cassidi imponi solitam: quo exemplo fortassis forma etiam mutata fuit, ut galex aliquam imaginem compositū hoc Diadema retulerit. Nam ramuli aurei, Virgæ sive apsidés è Laminâ surgebant, & spargebant se: mox, in apicem reducto gyro, coeuntes, coronam in acumen efferebant. Usurpatum hoc in Diademate Constantinopolitano: & sic post translatum Imperium. Præterea ramuli isti aliquando duo, aliquando quatuor erant; & in quatuor plus dignitatis, quàm in duobus, ut Curopalates testatur. Hinc pro ingenio quisque Coronam suo variavit. Nam, eodem illo scribente, pro arbitrio suo hunc capitis honorem Imperator assumebat, *aut Violam, aut Lilium, aut Quadri-folium, aut quid simile in Corona speciem effectum*. Ergo & tiara adjecta fuit, sive cidaris, more Persico, quæ caput totum tegebat. Videnda Heraclii, aliorumque Imperatorum numismata. Carolus Magnus insigne hoc Augustale, sed clausum rotundumque (quantum scire licet) primus latâ laminâ, sive bracteâ gemmatâ auxit, & velut ornamento educto, distinxit. atque hac formâ alii deinceps usi, donec tiara divisa fuit; fortassis, ut duplex Imperiū significaretur. quo sensu gemina quoque Aquila coaluit. Finditur igitur tiara, à Stemmate exurgens, & dividuo sensim intervallo, in duo culmina patescit; quæ tanquam Lunæ cornua obliquantur. Verba è Pontificali Romano passim citata, adjungo:

*Corona imperialis habet sub se tiaram, in modum ferè Episcopalis mitræ; humiliorem tamen, magis apertam, & minùs acutam: estque ejus apertura à fronte, non ab aure: & semicirculum habet per ipsam aperturam aureum, in cujus summitate Crux parvula eminet. Eam tiaram aliæ coronæ non habent. Et quia aperturam semicirculus sequitur, illa inquam lamina educta; fit, ut in acumina ferè desinat, & Lunæ crescentis imaginem, sive  $\mu\nu\nu\omicron\epsilon\iota\delta\eta$  exprimat: an in omen crescentis Imperii, & donec totum impleat orbem? Crucem autem velut apicem in summâ bracteâ globus, id est mundi effigies, sustinet; ut gerat quoque Imperator, quantum scepro gubernat, mundum inquam Christianum. Quid ni breviter igitur colligo, & apto quæ dixi? Reges olim Romani Diadema gestabant, Tarquinius Priscus Coronam quoque Auream, ab Hetruscis acceptam. Imperatores deinde Lauream; atque aliqui Radiatam simplicem. Primus Aurelianus, ut est in Epitome Victoris, fatifcente imperio, *Diadema capiti innexuit; gemmisque, & auratâ omni veste, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus videbatur, usus est.* Hujus alii exemplû secuti sunt. Et Constantinus quidem, ut idem Victor scribit, *habitum Regum gemmis, & caput perpetuo Diademate exornavit.* Hinc luxum quoque Corona Imperii admisit, & in formâ variatum; donec ad hodiernam ventum. Colorem tiaræ, puto album & rubrum esse, & ab Austriacis cœpisse. Sed album & purpureum, jam in Diademate Alexandri notavi. Hæc quidem habui, quæ ad Quæstionem Serenissimi PRINCIPIS, occasione exsequiarum, faciunt; sed talia, ut à tuo calculo pendeant. Ad Pontificem quod attinet, ab Apostolorum temporibus insigne esse sacрати capitis, certum est: & historiæ Ecclesiasticæ Scriptores tradunt, D. Ioan-*



Joannem gestasse Petalum, sive auream in fronte laminam. Sanè Silvester Pontifex oblatam à Constantino Coronam auream, gemmis distinctam, recusavit, mitrâ alboque velamine contentus. Sed postea igitur, & in Ecclesiæ splendorem meritò assumpta est: quando? aut quomodo? nondum expedio. Vide Platum, Baronium, Majolum; denique Paschaliū, qui de totâ re ittà coronariâ operosè, & fusè, & doctè. Sed quia de Diademate Imperiali verba feci, vota adjungo, ut Serenissimus noster, Optimus ille Principum, supremo hoc radio aliquando Europam, & omne genus humanum illustret. Tu vale Amplissime & Perillusis Vir, & PUTEANVM tuum ama. Lovanii, vi. Kalend. Martii.  
∞. IOC. XII.

## EPISTOLA XCII.

CORNELIO LVMINEO MARCANO *suo.*

**O** Scelus! ô plagium hominis, nec hominis! Itane, Suavissime MARCANE, illi LESSVS, illi tui LESSVS, quos exspectavimus, perierunt? Iterum, ô scelus! ô plagium hominis, nec hominis! Sub amici personâ nefarius fuit, ut maximè noceret: ad alia audax, summum scelus furto perfecit. Nunc verò noster hic quoque dolor est, & eisdem amissimus LESSVS, quia non legemus: ille, quod sibi rapuit, subtraxit omnibus: dignus profectò, qui carnificis manum dorso scribendo lasset, & ex infamibus scalis in litteram longam extendatur. Nummos furari capital est: quid ergo, ingenii labores? Sed lateat tamen, quisquis ille fuit, illæsum tergum collumque habeat: ne pœna desit, improbitatis suæ oblivisci non poterit: imò nec

fructur libro, quo ut indignus esset, Rempublicam fraudavit. Tu verò hac etiam vindictâ contentus, satis putabis, semel ingemuisse. Sapientiam cogita: huic ut lites, magnâ animi constantiâ contemnere debes versus, quos admirabili ingenii felicitate panxeras. Ne æstimares, perierunt. Et habes tamen quo te soleris, & excites: ALEXIVS superest: cùm multa impudentissimus fur auferret, reliquit fortassis quod optimum est. An opus etiam verbis? Nautam tibi propono: post tempestatem & ejectas merces, *mox reficit rates quassas,* & quantum amisit, à mari iterum exigit. Quid agricola? arbuscula si extincta, novam plantat, cælo & solo labores denuo suos credit: imitare. Nihil novi, citra famam stetisse quod admirari possis: quicquid composueras, jam Fortunæ commissum erat; aliquâ perire injuriâ poterat, & extingui. Tuum cense, quod potes scribere: alienum, quod scripsisti. Etiam dico? quantum deinceps scribes, non perit; quantum non lugebis, servatum est. Iam si in lucem surrepti labores venient, tibi venient: te Auctorem indicabunt: si non, de tuo certè illustrari plagiarius non poterit. Sed heus; cautiorem deinceps hoc damnum te faciat. Sunt homines aliqui

*Cum senis manibus, genere Geryonaceo,  
Quos si Argus servet, qui oculus totus fuit,  
Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,  
Is nunquam servet.*

Arce, arce, mi MARCANE: interdum, qui per blandicias se insinuant, & benignè injiciunt manum, polypii; quicquid tetigerint, tenent. Sic nunc salve, & ut Italia placeat, Reverendissimum ANGELVM GRILLVM, virum tor maximum cogita. In Musæo meo, horâ, ut veterem popu-



populi Romani consuetudinem imiter, III.

EPISTOLA XCIII. *Mediolanum.*

FREDERICO CARDINALI BORROMÆO,  
*Archiepiscopo Mediolanensi.*

**P**OST ultimas litteras, adire Humanitatis tuæ limina munusculo decreveram, & quem non desero cultū, expresso velut signo testari. Sed quid? quia adhuc imperfectum est, redeo ad Epistolam, ut quid præstare velim, indicem, à culpâ silentium removens. Etenim non scribendo peccare deinceps poteram, & videri de pristino affectu remisisse; sed amando, silere non poteram, nisi in parte peccarem. Ego verò ut Principem te esse memini, & inter purpuratos Ecclesiæ Proceres, virtute, doctrinâ, facundiâ eminere: ita quoque moribus ingenioque benignum esse, & ad omnem humanitatem factum. Quo fit, ut potiùs comitate tuâ ad scriptionis suavissimam consuetudinem provocari debeam, quàm majestate absterreri. Cùm verò in maximis negotiis ita verferis, ut imitatione quadam numinis minora non negligas; me certè de Litterulis loquentem, hilari fronte admittes. Viam enim sternere hac nunc epistolâ volui, non quasi negligentiam aliquam meam obstructam, sed tamen post intervallum aliquod verecundiam impeditam. Vt enim qui à luce recessit, & umbris tenebrisque circumfusus est, difficulter iterum in Solem erigit oculos, & ad lucem *συναγει*: ita mihi contingit, postquam à te publico Litterarum Italiæque Phœbo in hanc noctem afflictæ & gementis hætenus Belgicæ veni. Nam quia caligo quædam familiaris esse cœpit, & tanquam in nocte obscuritas, nescio  
quæ

quæ imbecillitas oculos animúmque invasit, ut quæ alibi stellæ duntaxat sunt, & creperâ luce scintillant, videantur mihi Soles esse: Sol verò ipse majus quiddam diviniúsque habere, quàm ut acies mea sustineat. Quia verò etiam nubium & hispidæ auræ velut flammeo aurei illius Dei corusca facies tegitur, neque diem tamen mortalibus subtrahit: sic tu Optime & Virtutibus Illustrissime Antistes, aliquid concedes debilitati meæ, & radiantem illam dignitatis gloriam, humanitate tibi agnatâ paullisper contrahes, ut sustineam. Nam, quod animo ipso dictum putabis, te videre, tuus esse cupio, tuóque patrocínio atque beneficio censerí. & in hunc potissimùm finem vitæ studiorúmque rationem dirigo, ut placuisse Viro doctissimo, Præsuli sanctissimo, Principi humanissimo BORROMÆO, à Posteris dicar; sed ingenio quoq; meo, obsequio, diligentia, aliquid ad æternitatem consiliorum tuorum contulisse. Ita crede, vive, vale magne Litterarum perentum vindex, & pro voto Bibliothecam promove. Lovanii, Nonis Feb. ∞. IOC. VIII.

## EPISTOLA XCIV.

Lovanii.

PETRO WADINGO, Societatis IESV,  
Viro facundissimo, & Sodalitatis Directori.

**V**LIERBEKANO adfui, & communem Sodalitatis petitionem exposui. Annuít, nec annuit: promptum se dicit, & facturum quantũ volumus; sed nisi impedimentum intercurrat. hoc autem quàm facile est, & repentè nascitur! ut fungi solent, quos levi imbre tellus provocata fundit. In rebus omnibus negotio-



gotiorum quidam velut venti sunt, & subitas cogunt  
 nubes, cælumque obducunt. Itaque adfui ego, nec ad-  
 fui; quia omnino non impetravi. De Oratione, quid  
 ni velim, quod tu cupis, tui suadent? quo animo dixi,  
 audebo edere: ut sciant omnes, Pietatis studia & Elo-  
 quentiæ jungi posse; sciant, me Societati vestræ ami-  
 cum esse, & placere: cui si nomen meum impendam,  
 tantum reddam, quantum accepi. ab eâ velut sedulâ  
 Litterarum nutrice & magistrâ, eruditionem hausi.  
 Itaque gloriari sic quoque nunc incipiam, quòd bo-  
 num hunc affectum aliqui fortassis carpunt. O mi Pa-  
 ter! sic vivitur; & mores nôsti. Sed meum animum se-  
 cura quædam tranquillitas munit. Tu me ama, & tui  
 ament; cælum tangam: adnitar autem, sic me Deus  
 juvet, ut magis magisque benevolentiam istam mere-  
 ar. Salve, & feliciter Sodalitatem rege; quam ut omnes,  
 omnes ament & frequentent, docta illa tua, nec mi-  
 nùs pia dicendi majestas faciet. In Muséo meo, à Dis-  
 sertatione publicâ.

EPISTOLA XCV. *Mediolanum.*

RAPHAELI MONTORFANO suo S.D.

**S**CRPTIONIS moram non excuso, mi MONTORFANE;  
 vacare tibi debui, imò potui, etsi in varias hacte-  
 nus curas divisus. Sed amor noster plenam & offi-  
 ciosam epistolam exigebat, velut ex promisso. Itaque  
 non scribere, quàm pauca malui. nunc verò (ne suspe-  
 cta mora sit) pauca, quàm non scribere. De itinere scio  
 te scire. Pervenimus, & ex voto auspicia fuère. An di-  
 cam etiam? Planè ad Musarum quietem & voluptatem

Q

rever-

reversus sum; & in his nunc collibus, vallibus, pratis, extra strepitum armorum, & omnem teli jactum ago; & tum felicior, cùm te cogito, in cujus animo Virtus, Candor, Probitas habitant. Sed ô nunc etiam te fruar propiùs: tecum ambulem, inò differam! Calamo fiet; Litterasque tuas (crebras & copiosas dabis) in aprico & opaco ruminabor. Tu meas quoque, cùm solus eris, ne solus sis. Sermone, nomine, affectu àdéro, quia scriptione: non ad latus, sed in sinu tuo, sæpiusque manu. Non jam audies loquentem, sed videbis; fortassis aliquando iterum auditurus. Nunc ubi sum, juvat esse. quid ni? in Patriâ, inter bonos, & cum bonis. Tales Belgæ, & Belgica Juventus, quam LAUDATVM IVI. ipsum librum, ubi prodierit, accipies, & in exemplum filiolis tuis promes. Nunc vale cum suavissimâ uxore, & à me meaue salve. Patrem, Socerum, Socrumque includo, atque liberos. Lovanii, Postridie Kal. Mart. ∞. Ioc. VII.

EPISTOLA XCVI. *Ruramondam.*

PETRO BOSCHIO V. *Amplissimo,*  
*Cancellario Geldriae.*

**N**VNC certè experiri cogor humanitatis tuæ opem, & simul publicè ostendere, quo affectu hominem complectaris, qui ingenium Litteris occupat. Is ego qui scribo, & ecce in tuo Senatu lite implicor, propemodum jam hornâ. Ego, & sic fratres mei, sororesque; inò noverca, & pars hereditatis à patre nobis relictæ. Hanc CONRADVS SEGERVS avunculus meus, nuper miles, & bello adversus Batavos Ductor



etor cohortis Germanicæ, ad octo millia Florenorum,  
 & ampliùs, oneraverat; & Collegam sive Symma-  
 chum habuit, GODEFREDVM BYLIVM, quem nos jam ad-  
 versarium. Avunculus obiit: quod à vivente extorque-  
 re non potuimus, conati sumus è defuncti bonis pete-  
 re: & ecce remora fixa est. Prodiit post alios BYLIVS,  
 & aliquot sibi contendit millia deberi, è ratione mili-  
 tari. Agitur de bonis Avunculi, & villâ Swolgianâ:  
 huic ut manum injiceremus, veniam petimus, & obti-  
 nemus. Sequitur BYLIVS, petit pariter, obtinetque; sed  
 nescio quâ celeritate usus, prior injicit. Res in litem de-  
 ducta est: nos quia petendo, ille quia invadendo præ-  
 vênit, æquiores se putat causam prosequi. sed non in-  
 telligit, se petitione nostrâ jam exclusum fuisse: quia ob-  
 tinuimus, petere non potuit: quia invasit, jus nostrum  
 occupavit. Sic collidimur, & in hac jam luctâ hære-  
 mus; quam ut auctoritate prudentiâque tuâ dirimas,  
 obnixè rogo: simul ut causæ examen à rebus personis-  
 que pariter deducas. Quid enim agitur? imò qui  
 agunt? propinqui, & alienus: nos, ut recuperemus  
 quod nostrum est; ille, quod fortassis non suum. con-  
 ferantur rationes: nostræ liquidæ, illius dubiæ; no-  
 stræ veteres, illius novæ; nostræ necessariæ, illius (au-  
 sim dicere?) fortassis nullæ. ecce jure, tempore, cogna-  
 tione vincimus. Quid ampliùs? nostrum nos petimus,  
 quo vivamus; alienum ille, quod absumat. nos quem  
 olim juvimus, nunc quoque Avunculum putamus; ille  
 amicum, quem vivum perdidit, nunc extinctum spoli-  
 at; & quid nisi hostem habet? Cogita Vir Amplissime,  
 & nunc ostende, quàm rigidâ manu Astrææ negotium  
 agas, in illo Senatus culmine; quàm me quoque ames,  
 hominem, ut dixi, Litteris, id est, tuo otio occupa-

Q 2

tum.

tum. Causæ Patronum, TILMANNVM BREIVM habemus. & hunc quoque audies; imò adversarium ipsum, ut faciliùs condemnes. Est jam quoque altera difficultas de Molâ Venlonensi, quam plures Creditores urgent: in numero igitur & nos sumus; sed ne frustra, sperare ab humanitate tuâ audemus. Vale. Lovanii, quò uterque meus frater venit, ut cum litteris deinde meis ad te irent. III. Eid. April. ∞. Ioc. XII.

EPISTOLA XC VII. *Antuerpiam.*

ANDREÆ ETTENIO V. *Amico,*  
*Medicinæ Doctõri.*

**I**N excusationem ut verecundiam nomines, qui sic scribis? O mi ETTENI, Veneres & Elegantiæ tam felicem tibi manum, Prudentia & Sapientia mentem tam felicem dirigunt. nisi tam audax, quàm eruditus sis, in te & in amicos peccas. Sed an de stilo dubitare ego poteram, oris tui facundissimis deliciis jam aliquoties imbutus? Scribe igitur, ne excusatione deinceps opus sit: vel etiam verecundiæ sume velum, ut sic scribas. Profectò quàm me ames, ipso ingenio potuisti ostendere: tanquam respondeas, scribis; & sermonem meum velut epistolam æstimâsti. De Prætorio autem vestro dixeram, quod compactâ operis maiestatem robustum vicinâ ædificiorum umbrâ non parum deformatur: annon structum, ut extra impedimenta sit, & liberam faciem ostendat? Omnino igitur in hac re aliquid compendii repperisse videor: & audacter potes promittere. Suggestam enim, ita me venustas nobilissimæ urbis amet, quâ & forû in pulcherrimam laxetur formam, & minus damni civitas sentiat. Atque hanc



hanc ingenii mei benevolentiam si ad Senatum Clarissimus ROLANDIVS referet; quanti & me & Curiam omnes faciunt, simul intelligam. Placere Epicuri imaginem vehementer gaudeo. Et quid ais? jam IODENI manupolitissimè descriptam? Amo virum, qui tam benignam operam dedit: te, qui curasti. Absolvat quoque munus suum γλύπτης, æs gemmâque fodiat, ut superstitem Gargetii Senis vultum, in libris, imò in annulis circumferamus. De gemmâ tu ipse statue: sive exsurgat facies, sive impressa lateat, usum aut monilis habebit, aut sigilli. Nomè plenis Latinisq; litterarû notis subtus adscribatur: EPICURVS. Nam illas Græcas ΕΠΙΚ. ΑΘΗΝ. quas ostendi, etsi in nummo, eâdem imagine insignito, apud IONAM BILERVM IANVS RVTGERSIVS, curiosissimus ille Antiquitatis censor, & apud M. ANTONIVM MVRETVM IOSEPHVS SCALIGER viderunt; tamen ad gemmam nolim transferri, nequis fucum censeat. Quod reliquum est, fidem cimelio huic seorsim ego adstruam. & hoc jam satis, SCALIGERI fuisse: à quo ad RVTGERSIVM, & inde ad me venit. Scimus igitur hunc Epicurum esse, ideóque publicamus, nunc tandem conspiciendum publicè, quo à tot jam seculis Litteræ caruerunt. Nimirum tam iniquos hic ille Sapiens Posteros expertus est, ut qui celeberrimus olim, nunc propemodum solus lateret, sive neglectus, sive extinctus: ille, qui vitæ regulam, & innocentiae custodiam, etiam ab imaginibus deduxit. Rectè, & hac mente Seneca, Epistolâ LXIV: *Quidni ego magnorum Virorum & imagines habeam, incitamenta animi? & natales celebrem? quidni illos honoris causâ semper appellem? quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt.* Ipsum verò Epicurum

ut audias, imò ut videas, junge Epistolam XI. & XXV. Vale, & rescribe. Lovanii, Prid. Eid. April. ∞. Ioc. XII. De Sectis Medicorum Antiquis ut absolvas, vehementer te rogo. Clarissimum ROLANDIVM officiosè salvere jubeo.

## EPISTOLA XCVIII.

ALEXANDRO TRZEBINSKI, PETRO OZGÆ,  
IO. BAPT. GOVBAVIO F. THOMÆ MIANOVVICZ,  
*Contubernalibus suis.*

**S**VAVITER aut curiosè, parum est: nos verò serio interdum sermone peregrinamur, Contubernales mei, quem cogitatio vehit, rerum utilium & scientiarum desiderio stimolata. Sic neque à consuetudine tam eruditâ alienum, quod de Stadiis quæ situm hodie, non eodem apud omnes spatio definitis. Quia breviter voluistis confirmari, quæ dixi, calamo usus sum, & quantum observatio dedit expressi. In Stadiis discrimen esse, dissensus aliquis scriptorum indicat. Ergo hanc faculam capite, & distinguite. Est Græcum, est Italicum. GRÆCVM communiter est centum passuum, sive pedum sexcentorum. Sic Herodotus libro I. I. Αἱ δὲ ἑκατὸν ὀργυαὶ δίκαιαι εἰσὶ στάδιον ἑξάπλετον. Sic & alii: quia hoc spatium, ut prima origo est, uno spiritu cùm confecisset Hercules, constitit; Stadiúmque ἀπὸ τῆς στάσεως, id est, *Statione* appellatum. Dixi communiter, quia & in Græco discrimen. Censorinum audiamus, lib. De Die Natali, cap. XIII. *Sunt præterea & alia* (de Stadiis Græcis loquitur) *longitudine discrepantia: ut Olympicum, quod est pedum sexcentum. Item Pythicum, pedum ∞.* Nisi tamen hinc  
error



error est. nam reliqua Stadia Olympico minora reperio, apud Agellium, lib. 1. cap. 1. ubi ex Plutarcho scribit, scitè subtilitèrque ratiocinatum Pythagoram Philosophum, in reperien dà modulandàque proceritate Hercules. *Nam, inquit, cum ferè constaret, curriculum Stadii, quod est Pisæ ad Iovis Olympii, Herculem pedibus suis metatum, idque fecisse longum pedes sexcentos, cetera quoque Stadia in terrâ Græciâ ab aliis postea instituta, pedum quidem esse numero sexcentum, sed tamen aliquantulum breviora facillè intellexit modum spatiumque plantæ Hercules, ratione proportionis habitâ, tantò fuisse quàm aliorum procerius, quantò Olympicum Stadium longius esset quàm cetera.* Iam verò ITALICVM, centum viginti quinque passuum est, sive pedum sexcentorum viginti quinque. Ita Martianus Capella lib. VI. De Nuptiis Philologiæ: *Singula verò Stadia centum viginti quinque passibus explicata.* Et Plinius, lib. 11. cap. XXI. *Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus, hoc est pedes sexcentos viginti quinque.* Vbi non frustra etiam, nostros. nam Passus Græcus, ut est apud eundem Herodotum, pedes continet sex: Italicus, quinque duntaxat. Adjungo Cenforinum, loco signato: *Stadium autem in hac mundi mensurâ id potissimum intelligendum est, quod ITALICVM vocant pedum sexcentorum viginti quinque.* id est, passuum centum viginti quinque; priori summâ in quinque divisâ. Hinc etiam in libello de Limitibus, *Stadialis ager eodem numero circumscribitur: Porro Stadialis ager habet passus CXXV. id est, pedes 10CXXV. cujus mensura octies computata Milliarium facit.* Milliarium, sed Italicum, quod est pedum quinque millium, sive passuum mille. Alia ipsi obiervabitis. Quod ad rem (exercemur enim) non quod ad Quæstionem facit, addo; in Palæstrâ Stadium fuisse; imò Stadia, sed tecta, ubi per hiberna

berna tempora Athletæ exercebantur. Id Vitruvius docet, lib. v. cap. xi. & alludit Martialis, lib. iiii. Epigrammate LXVIII. ad Matronam Pudicam:

*Gymnasium, Therma, Stadium est hac parte: recede;  
Exuimur: nudos parce videre viros.*

Sed quia Palæstram nominavi, excitare vos audeo, ut magno animo hæc studia capeffatis, bello & inertia, & ignorantia, & ineptiis vulgi indicto. Differuisti tu proximè, ALEXANDER, super illo Senecæ, lib. v. De Beneficiis: *Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit; & egregiè differuisti: differui ipse, ut magis etiam & te, & ceteros Athletas meos excitarem. quid Recitandum perendie, Schematismus indicat: MAGNA FORTUNA, MAGNA SERVITVS est. Non potest hæc gnome stilo explicari, nisi è Sapientia rivis materia colligatur, & mens assurgat. Quid est Fortuna? quid hæc omnia, quæ admiramur stulti, & suspicimus? Ego unum quemque ad se duco: se despiciat, & facile contemnet cetera; sed cogitet examinè que seipsum, & jam despiciet. Videte, an argumento affines hi Senarii, quos sepulchro Viri nuper magni, & de Fortunâ non questi, heri inscripti, Viri vicini mei:*

HOMINEM VT SCIAS FVISSE, QUI IAM MORTVVS,  
TE COGITA: SED ESSE HOMINEM VTI TE SCIAS,  
TV COGITA, QUI VIVIS, HVNC IAM MORTVVM.

Et quia mentem salubrior cogitatio trahebat, in hos adhuc versiculos erupi:

*Quid homo? quid est? quid vivum, & inter mortuum  
Distat? Mori iste cœpit, ille vivere  
Iam desit: vitæ necisque nexus est.*

*Quicumque vivit, parte magnâ is mortuus.  
Protollere ad mortem gradum, hoc verè est mori:*

*Sed*



*Sed vivit ille, qui mori se intelligit,  
Virtute mentem qui jugi occupat suam,  
Et Numini atque Æternitati consecrat.*

Hoc igitur est homo, hoc est vivere, hoc est mori. Si rectè examinamus, Stadium est, & currimus: Stadium est, quod stultissimis votis longum mortales iter faciunt, & errorem aliquem vitæ. Felix ille, qui ultimam illam lineam, velut proximam quotidie expendit, Deum paratus vocantem sequi. Non tempore, sed virtute vita mensuratur. mori nondum didicit, qui vitæ cupiditate obsidetur; imò nō vivit, mori qui non didicit. Ergo è Sapientiæ regulâ vivendum est, ut familiare nobis fatum faciamus; ut cùm Parca fufum impleverit, vitam possimus contemnere. Ab his Litteris, à Religione haurienda præcepta sunt, quibus animus roboretur: & hoc ipsum ex intervallo lubet inculcare. Ita dico, inculcare, sed ut ipse usurpem. Quid etiam aliud hîc domi, & in libris; quid foris, & in Scholâ ago? Hoc unum, DISCO MORI. Facite vos quoque, & sic in Contubernio isto tanquam Virtutis Doctrinæque Stadio agite, ut fuisse aliquando delectet. Id ex animo Deum precor. Eidibus Aprilis, ∞. Ioc. XII.

EPISTOLA XCIX. *Mediolanum.*

IO. BAPTISTÆ SACCO, V.C

*Senatui à-Secretis.*

**V**T Musa, sic quoque conjux mea, facilis, fœcunda, πολυ-και ἀρρενοτόκος. Ego verò quàm strenuè & ἀβρενωδῶς, audire quàm referre malo. Loquuntur ipsi libri, ipsi liberi; & in utrisque imago mea expressa. Liberi certè meliori sexu meliorè originis suæ

R

partem

partem, id est patrem *τχιματιζουσι*: in libris alibi imbecillioris aliquid aut sequioris esse notæ, non negaverim. Equidem *ἀρρενογονία* meâ delector, neque tamen glorior. *γυγατέρες* simul & *δίδες ἠβώοντες* florentem familiam faciunt: atque istas, non sine consilio, Homerus, ubi familiam describit Æoli, anteponebat. Serio dicam: *τὸ γῆλυ βδέλυθῆσθαι*, inhonestum; *ἐκτιθέσθαι*, impium; *ἀποκτινύσθαι*, crudele. Hoc & illud, Veteres usurpabant, etiam impunè: istud nostri hodie, & ignobilitatem sequioris sexus manifestâ calumniâ mulctant. Feminæ quoque partem sibi generis humani vendicant, imò laudem: quippe è semine quoque nostro & sanguine, ratione præditæ, oratione instructæ; etsi infra Viros. Sic judico; sed Masculum (si comparatio fiat) meliorem. Suffragatur huic sententiæ ipse Philosophus, lib. i. de Rep. cap. v. *ἔτι δὲ τὸ ἀρρεν πρὸς τὸ γῆλυ φύσει, τὸ μὲν κρείττον, τὸ δὲ χεῖρον. καὶ τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον.* Non frustra igitur Euripides:

*Εἰς γ' ἀνὴρ κρείσσων γυναικῶν μυρίων ὄραν φάος.*

Sed obsecro, uxor tua ne audiat: imò audiat; parere enim illa marito suo didicit; cur non & parere? Anni nunc vetant. Mea utrumque munus hoc obibit, parendi *παραυτικά*; pariendi *καλ' ἔτος*. Sic Lucina, sic *ἠβη* faveat, ut qui nati ac nascentur adolescant. De reditu meo video & amo bonorum desiderium. Vin' sententiam meam serio? NON AMBIO: si publicè tamen evocer, ostendere velim, quanti & te, & amicos meliores faciam. Hos salvere omnes jubeo, te animitus *ὦ ἀνερ φίλιτατε καὶ λογιώτατε*, cum suavissimo Lare. Hæc Epistola ELICIA est, & ad uberiores meas poscit. Da quoque uberes. an dedisti? da tamen. Lovanii, VI. Kal. Sext. ∞. IOC. VII.



EPISTOLA C. *Bruxellam.*CORNELIO WYTFLIETIO, V. C.  
*Curia Brabanticæ Graphiario.*

**I**N litteris tuis verus affectus emicat, Vir Clarissime. Quid dicam? ut amas, ita scribis; & beneficium addis, quotiescumque scribis. Sic verò Orationem meam DE PURIFICATIONE VIRGINIS-MATRIS recepi, & APOPHORETA: in quibus tamen doleo nec tuum, nec aliorum quorundam nomina legi, tam impensè studiis meis faventium & votis. Quid feci? velut hortum seminavi: ignobiles alibi herbas (bene si non noxias quoque) casus produxit: inter flores vile quoque lolium superbit. Ergo flammantes violas (talem Clarissimum Virum & Senatorem habeo NICOLAVM VANDEN-BRANDE) & vernantes rosas, & plura soli lumina areolæ meæ ignorant. Solent & pulvilli buxæo supercilio muniri & ornari: isti mei nudi, & velut calvi; quia IOACHIMVS BVSCHERVS non legitur: imò aridi sterilesque; quia nominis tui fluente non rigantur. Sed mi WYTFLIETI, ut scriptio, sic & editio ista repentina fuit: congeffi Epistolas, quæ in manu erant, & ut res & negotia tulere, quæ ad amicos, aut non amicos misæ. Majori sanè velim munere Curiam vestram adire: alloqui singulos & venerari, id est, disjungere à vulgo. Fiet, sic Deus faveat, & aliquod adspiret otium, seu quietem. Filium GREGORIVM tuâ & ipsius causâ amovitur, facturus, quicquid à docentis & dirigentis industriâ exigas. Quid verò? te hoc ætatis tam virilem esse, ut fœcundus sis? Avus esse debebas, & Pater etiam sis? Filii jam robusti sunt; & cùm sic agis, munus suum vi-

dent, ut conjugem habeant, liberos gignant, & extendant stirpem. Extra jocum: pulchrum hoc est, florere adhuc arborem, & dedisse plantas, quæ maturæ sunt. Fruere hac felicitate, complectere quos genuisti, imò quos gignes,

*Et natos natorum, & qui nascentur ab illis.*

Lovanii, III. Eid. Martii, ∞. IOC. XII.

FINIS.

## CLAVSULA.

**V**ILI satis nomine non quantum fuit, LECTOR, sed quantum volui RELIQUVM esse, complexus sum & dedi. Tu rem inspicias, titulum ordini & divisioni condonabis. Quicquid ultimum, etiam RELIQUVM potest appellari. Atque hoc tamen ita nunc accipies, ne exhaustum putes peni. Post RELIQUIAS poterant etiam Centuriæ esse: sed quorsum totum sinum effundam? quedam evilesce ipsa copiâ solent: & gratiores huic seculo quorundam fuissent Epistolæ, si pauciores. Itaque compressi manum, & peperci. Plus est, non expleisse desiderium, quam satiasse. Ut qui è dolio vinum promit, non totum promit, sed quantum ad usum conviviumque satis: ita hic feci. Liberalis fui, & tamen retinui quod possum dare. Etiam dico? Ad SACCVM, MONTORFANVM, PLOVVERIVM, intimos illos meos, Charites meas, Centuriæ singule sunt, & tanquam Atticæ: nisi ipsa scriptio familiaritas & libertas impediet, fortassis prodibunt. Sed prius, ut aliquid mihi tribuam quoque, EPISTOLARVM DELICIAS ADOPTIVAS audebo jungere; ostendere inquam, Libro saltem uno, quid ad me alii scripserint. Sic & tu LECTOR vale, imò scribe.




ERYCI PVTEANI  
CRYPTOGRAPHIA  
EPISTOLICA,  
SIVE  
DE CLANDESTINA  
SCRIPTIONE  
COROLLARIUM,  
*Ad*  
Epistolographum Quemcunque.

R 3

## COROLLARIUM

DE

CLANDESTINA SCRIPTIONE.


**V**IA satis non fuit scribere, nisi & occultare mortales possent, quicquid Epistolæ creditur; ab antiquissimis temporibus scribendi latebra inventa est. Lufit humana industria imaginibus litterarum, & fraudis capacem stylum fecit. Post alios & C. Cæsar, qui unus docere omnes poterat, quid esset Epistolam scribere, hac Characterum personam usus est, & sic Grammaticorum quoque acumen exercuit. Litterarum commutationes erant, & vicariam imagine alia aliam referebat, lectorem ludens; nisi is in antecessum edoctus fuisset. Non syllabæ, non verba constabant, & in totâ scripturâ merum chaos erat. Rem ipsam Agellius proponit, lib. xvii. cap. ix. *Libri sunt Epistolarum C. Cæsaris ad C. Oppium, & Balbum Cornelium, qui res ejus absentis curabant. in his Epistolis, quibusdam in locis, inveniuntur litteræ singulariæ, sine coagmentis syllabarum; quas tu putes positas inconditè. nam verba ex his litteris confici nulla possunt. Erat autem conventum inter eos clandestinum de commutando situ Litterarum; ut in scripto quidem alia aliæ locum & nomen teneret, sed in legendo locus cuique suus & potestas restitueretur. quenam verò pro quâ scriberetur, ante iis, sicuti dixi, placebat, qui hanc scribendi latebram parabant. Est adèò Probi Grammatici Commentarius satis curiosè factus, de occultâ litterarum significatione Epistolarum C. Cæsaris scriptarum. Sed hanc imitari, & usurpare in parte saltem nunc quoque licet. E gemino Alphabeto duo*

cogan-



cogantur circuli litterarum; interior & mobilis, exterior & immobilis: alter ille velut index, ut ostendat, quamnam pro quâ littera accipienda sit; alter hic, ut formas supposititias subministret. Varietatem situs dabit. nam prout statio circulorum erit, aliæ aliis subjicientur litteræ, & vicarias admittent. Itaque secundas quasque si pro primis lubet usurpare, inferiorem circum unâ duntaxat litterâ promove, ab A ad B: prima enim constitutio jugis est, & varietate caret. sic verò circulo moto, A sub B positum invenies, B sub C, & sic deinceps: unde loco A scribendum erit B; loco B, C. & ita in reliquis. Sed si tertias quasque pro primis males accipere, inferiorem circum duabus litteris provolve: si quartas pro primis, aucto numero, tribus: si quintas, quatuor; & sic gradatim. Quod circulis hîc aptè non licet, rectis lineis ostendo.

## IUGIS SITVS.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z
a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z

## PRIMA VARIETAS.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z
z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y

## SECUNDA VARIETAS.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z
y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x

Ne exemplum desit, sententiam hanc ex primo: *Immortalia ne speres: quæ primâ varietate ad hunc modum occulte-*

culterur: LNNPSVBMLBOFTQESFT. secundâ, ad istum: MOOQTXCNMCPGV RGTGV. verbis conjunctis, ut difficultas augeatur. Ars prompta est; sed & indagari potest, si operam sumas. Nam circumvolutione circuli totius detexeris quantum scriptor occuluit. Proinde ut tutissimo secreto mentem abscondas, & totum legentis ingenium industriamque frustreris, è novâ laterâ arcanam scribendi rationem educam, quâ Epistolam, aut ejus partem vestias, clandestinum omne Mercurii beneficium factururus. Scribendi: sed & Legendi. frustra enim scriptura sit, si & consortem secreti torqueat. Hæc igitur, & *Rem* & *Tesseram* ejus habet. Res, argumentum est, arte & ingenio dissimulandum: atque hoc scribi prius debet, deinceps occultari. Tesserâ clandestina quædam nota est, sive signum, permu- tandis litteris aptum: nostri clavem appellarent. Signum, id est dictum aliquod, litteris extensum, quod solus ille sciat, qui Epistolam lecturus & intellecturus est: verbi gratiâ, MENS BONA: hoc enim jam utemur. & quomodo? Tabella construenda est, è XII Alphabetis; quorum unum, Liminare & Quadratum, lateri adhæreat, litterarumque velut iugo per undecim locula- menta gradatim descendat: AB, CD, EF, GH, IL, MN, OP, QR, ST, VX, YZ. Reliqua, Interna & Minora, quæ singula à binis istis litteris porrecta, per totidem cellulas extendatur, ordinibus pariter geminatis; ita ut primæ undecim litteræ cujusque Alphabeti, a b c d e f g h i l m, quæ firmæ stabilesq;, & velut masculæ, reliquis, n o p q r s t u x y z, quæ variantur, & femellæ vocari possunt, incumbant. Hæc varietas aliter aliterque institui potest: sed mihi nunc placeat, ut n supremi Alphabeti sub litterâ a ponatur, o sub b, p sub c, &c.

a b



a b c d e f g h i l m  
n o p q r s t u x y z

n proximi Alphabeti sub b, o sub c, p sub d, &c.

a b c d e f g h i l m  
z n o p q r s t u x y

n sequentis sub c, o sub d, p sub e, &c.

a b c d e f g h i l m  
y z n o p q r s t u x

Vnde quia in supremo Alphabeto sine intercalatione numerus ille duplicatus absolvitur, paribus & loculis & litteris series constant: in ceteris, quot à fine litteræ mobiles supersunt, ad principium referuntur, & vacua loca ordine suo implét. Itaq; in secundo Alphabeto primum solumque z à postico eliminatum, anticum occupat, & in novam sedem venit: in tertio y & z: in quarto x y & z: in ultimo tandem, ne omnes percurram ordines, quotquot post n in Alphabeto litteræ reliquæ sunt, redeunt. nec enim ulterius variari tabula potest. Sic verò, quia undecim tantùm formæ sunt, è viginti duabus litteris compositæ atque conjugatæ; Quadratum quoq; Alphabetum in undecim cogi cellulas debuit. Quæcunque dico, oculus distinguet: Schema ecce adjicio.

*Sequitur* TABVLA CRYPTOGRAPHICA.

S

AB	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z
CD	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	z	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y
EF	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	y	z	n	o	p	q	r	s	t	u	x
GH	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	x	y	z	n	o	p	q	r	s	t	u
IL	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	u	x	y	z	n	o	p	q	r	s	t
MN	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	t	u	x	y	z	n	o	p	q	r	s
OP	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	s	t	u	x	y	z	n	o	p	q	r
QR	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	r	s	t	u	x	y	z	n	o	p	q
ST	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	q	r	s	t	u	x	y	z	n	o	p
VX	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	p	q	r	s	t	u	x	y	z	n	o
YZ	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	n

Hæc



Hæc tabella est, & sic construitur: in quâ cum duplex Alphabetum sit, Latinum & Barbarum, sive Quadratum & Rotundū, & posterius hoc undecies variatum; peculiari modo Quadratum Tesseræ, quâ utendum est, Rotundum Rei servit, cujus & scribendæ, & legendæ rationem docemus. SCRIBENDÆ quidem istam. Ut argumentum occurrit, Epistolam, aut ejus partem calamo exprime, sed aliquo characterum facto intervallo: Tesseram supernè extende, quoties opus, & ordina; eousque repetendam, donec subiecta omnia verba operiantur. Hinc primam Tesseræ litteram in Alphabeto Latino quære: mox primam Rei, in Rotundo, quod, ut dixi, adhæret. hac inventâ, comparem sume, illam inquam ejusdem cellulæ inquilinam, sive superiorem, sive inferiorem, & eandem scribe, id est Epistolam mittendam ordine. Deinde ad secundam & Tesseræ & Rei litteram transi; illam in Alphabeto Latino, hanc in Rotundo nota, & comparem enota, Epistolæ inferendam. Atque ita duas jam litteras scripseris: reliquas, si pari operâ progredieris. LECTIO verò aliam difficultatem non habet. Notis his singulariis & nullâ juncturâ nexis, id est, verbis non verbis Tesseram inscribe; hujus, & simul illorum litteras ad tabellam refer, compares e-rue, in scripturam coge: quicquid latuit, expressum invenies. In exemplum nunc Herennii Pontii benignius responsum promo, de Romanis ad furculas Caudinas inter duos saltus clausis: *Omnes censeo inviolatos dimittendos.* Hæc verba tibi scribenda sunt, litteræ levibus intervallis disparandæ, quæ Tesseram admittant. Neque in exemplo à Mente Bonâ recedemus.

M E N S B O N A M E N S B O N A  
o m n e s c e n s e o i n v i o

M E N S B O N A M E N S B O N A  
l a t o s d i m i t t e n d o s

Ecce prima hęc Tesseræ littera M est, prima Rei o: monet illa, ad M Quadrati Alphabeti vertendum esse oculum; hæc, ad o Rotundi adhærentis: & quia in eâdem cellâ g expressam invenies, g pro imaginẽ serviet, & o litteram in Epistolâ occultabit. Sic E tesseræ, & m Rei, x dabunt; N Tesseræ, & n Rei, f; S Tesseræ & e Rei, u. Quid opus singulas recensere? simul pono & repræsento.

Gxvfzvzampgnacqbryalfxqzqiavaxgf

Lectio igitur eâdem viâ & methodo peragitur. Aptanda scripturæ est Tessera, quod hęc facio:

M E N S B O N A M E N S B O N A  
g x f u f u z a m p g n a c q b

M E N S B O N A M E N S B O N A  
r y a l f x q z q i a u a x g f

Sic verò Tesseræ prima littera M, in Alphabeto Latino quari debet; prima Rei g, in Rotundo; & o deprehendes, id est, Responsi primam. Pariter in ceteris. Atque hac ratione *locus cuique suus & potestas*, quod Agellius dicebat, *restituetur*. Experire; facile dices, quod laboriosè fortassis explicui. Ceterùm, si voce agatur, è binis, quicquid scripsi, verbis intelligas, & ampliùs quàm scripsi. ante omnia Tessera necessaria est,



est; illi scienda, qui nodum expediet, & ad verum sensum litteras revocabit. Nunc Epistolam exhibeo, in quâ scribendi hac latebrâ usus sum, æternâ quidem, nisi Tesserâ publicetur. Sed ego non facio, non faciet Amicus, arcani consors; ut si investigare cœperis, laboris desperatio artem magis commendet. Frustra erit quicquid facies, & omne ingenii tormentum arcani vincet præstantia. Usurpa ipse, quisquis es, & amas ἀποκρύπτειν: latebræ fidem certè nunquam accusabis. Libentius etiam hanc Epistolam adjicio, ut EPICURI simul imaginem videas, è latebrâ oblivionis nunc primum èductam. Utinam & scripta possimus! illa ob vim persuadēdi *σειρηνα!* è tam multis & tam præclaris aliqua! Etenim trecentos etiam suo tempore Cyndros librorum fuisse, Laërtius testatur, & peculiari e-logio bonæ voluptatis magistrū *πολυγράφωτατον* appellat.

ERYCIVS PVTEANVS

M A X I M I L I A N O

P L O V V I E R I O *Smo.*

P P L S H Q Z H M C G T H A.

**V**tar ingenio & communi tesserâ, mi PLOVVIERI, ut quod inter duos perire debet, tutò litteris committatur. Sed & in publicâ calamitate quid ni in finum tuum hanc doloris impatientiam effundam?

*Sic eat, ô Superi, quando pietâsque fidésque  
Destituunt, morésque malos sperare relictum est.*

Calamitatis causas longâ serie retexent alii. Ego breviter sic sentio. zyxgpiffntspqvtydylfczqbzssxpbzcnxqvrqioamtc. Et dicam? ddhdfpcpsmli pillqhztldhfgdeipbh. Si rectè calculum ponas, frhzfryzinyxzsoxyqfri.

soxyqsri. Sed obsecro, mlhobaytdbmnpvocqogpd  
 dtbqdishovogpenqzzdfohcfpzylbmqzamtlcengzdl  
 sdtbo? Deus componat! Litteras Italicas accepi, ve-  
 tulas admodum. Sic deinceps si hæreant, Mercurium  
 negabo alatum esse. Viden' hanc nunc imaginem?

ΕΠΟΥΔΑΙΩΣ ΖΗΝ ΑΡΙΣΤΟΝ.



*Epicuri Dictum apud Senec. epist. xxv.*

SIC FAG OMNIA, TANQVAM SPE-  
 CTET EPICVRVS.

Intuere, mi Amice, & in lineis istis spirantem ad-  
 huc mentem magni Viri. EPICVRVS est, quem pollici-  
 tus



tus sum : *Sic oculos, sic ora ferebat.* Tam præstantem vultum nobis gemma servavit. Forma inde expressa inter Cimelia SCALIGERI fuit, & RVTGERSII beneficio ad me venit. Nunc ANDREAS ETTENIVS noster sic delineari eam à PETRO IODENO peritissimo artifice, & deinde à fratre suo FERDINANDO scalpi curavit ; dignam istis lineis, istis manibus, & porro oculis omnium. Vale.

FINIS.



---

APPROBATIO.

**H**AS ERYCI PVTEANI, V. Cl. Episto-  
larum velut opiparæ Cœnæ RELIQVIAS,  
ne pereant, colligendas, & communican-  
das censeo,

GVILIELMVS FABRICIVS, *Novio-  
magus, Apostolicus & Archiducalis Librorum  
Censor.*

---

Cum Privilegio BELGICÆ PRINCIPVM  
ad Octennium.

*Signat.*

*Buschere.*